NOVITIÆ

FLORÆ HOLSATICÆ

SIVE

SUPPLEMENTUM ALTERUM
PRIMITIARUM FLORÆ HOLSATICÆ
G. H. WEBERI.

AUCTORE

ERNESTO FERDINANDO NOLTE, M. D.
PROFESSORE BOTANICES PUB. EXT. IN UNIVERSITATE
KILONIENSI, DIRECTORE HORTI BOTANICI.

KILONII.
PROSTAT IN LIBRARIA ACADEMICA.

1826.

Pigri est ingenii, contentum esse his, quæ ab aliis inventa sunt.

Seneca.

VIRO ILLUSTRISSIMO

GEORGIO HENRICO WEBER,

REGI A CONSILIIS STATUS, ORDINIS DANNEBROGICI ET AUREA ET ARGENTEA CRUCE ORNATO, ARCHIATRO, MEDICINÆ DOCTORI, PROFESSORI MEDICINÆ ET BOTANICES PRIMARIO, DIRECTORI COLLEGII SANITATIS SLESVICO - HOLSATICI

&c. &c.

CONDITORI FLORÆ DUCATUUM

HÆC QUALIACUNQUE VENERATIONIS AC GRATI ANIMI DOCUMENTA

DEDICAT

AUCTOR.

Præmonita.

Libellum hunc de plantis Ducatuum *Holsatiæ* et *Slesvici* et *Lauenburgiæ* botanici studii amantibus trædituro visum est nonnulla præmittere et de iis, qui ante me in harum terrarum plantis describendis versati sunt, et de ipsius libelli consilio.

Itaque, quæ primis temporibus singulatim de nostris plantis protulerunt *Clusius*, *C. Bauhin*, *Major*, *Kylling*, *Waldschmidt*, iis sic relictis, ut post in *Flora trium Ducatuum*, a me edenda, plane explicentur, hîc origines Floræ nostræ breviter percurram.

Et *G. C. Oeder* quidem, primus Floræ Danicæ editor, jam antequam maximum illud opus edendum pronuntiavit (libro inscripto: *Efterretning om et Værk, som paa kongelig Befaling skal udgives, Flora Danica kaldet, tilligemed en Pröve-Plade af MultebærsPlanten* [*Rubus Chamæmorus*]. Kjöbenhavn d. 1 Mai 1761 fol.), Ducatus adiisse videtur; quum et secundo illius libri fasciculo nonnullæ, et sequentibus complures plantæ, ex Ducatibus petitæ, contineantur. Sed Floræ Danicæ, utpote quæ jam quartum habeat editorem, sæ-

piusque a me his paginis citetur, et integrum describam titulum, et, quæ ad quemque editorem pertineant partes, enarrabo; in posterum semper huc respecturus. Eritque hoc utilius, quo magis solet is liber indiligenter citari. Titulus autem hic est: *Icones plantarum sponte nascentium in regnis Daniæ Norvegiæ et in Ducatibus Slesvici, Holsatiæ et Oldenburgi: ad illustrandum opus de iisdem Plantis, Regio jussu exarandum, Floræ Danicæ nomine inscriptum.* Hafniæ 1761-1826 fol. Fasc. 1-32, tab. 1-1920.

A fasciculo 27mo hic titulus incipit: *Icones plantarum sponte nascentium in regno Daniæ et in Ducatibus Slesvici, Holsatiæ et Lauenburgiæ etc.*

Textus, qui nomina plantarum, synonyma plura, diagnoses, loca, nomina eorum, qui primi invenerunt, observationibus passim adspersis, continet, aut Latino aut Germanico aut Danico sermone confectus est.

Oeder curavit fasc.	1-10	tab. 1-600	A. 1761-71.
Müller - -	11-15	tab. 601-900	A. 1775-82.
Vahl - -	16-21	tab. 901-1260	A. 1787-99.
Hornemann -	22-32	tab. 1261-1920	A. 1806-26

(fasc. 32, quo tempore hæc scribuntur, sub prelo est.)

At vero vir illustrissimus ac de plantarum studio meritissimus, *G. H. Weber*, primus viam munivit ad accuratiorem notitiam plantarum in Ducatibus nascentium; qui anno jam 1775, ut ex libro ejus inscripto: *Spicilegium floræ Göttingensis* (Dedicat. pag. 3) apparet, ad futuram Cimbricam Floram plantas collegisse videtur. Anno 1780 autem tanquam dissertatio inauguralis, præscripto nomine F. H. Wiggersii, editæ sunt *Primitiæ floræ holsaticæ*, Kiliæ,

8, quorum verum auctorem fuisse Weberum, mox apparebit.

Sunt hæ Primitiæ catalogus indigenarum Holsatiæ et Slesvici plantarum, qui 1166 species, quarum 786 sunt phanerogamæ, continet, insertis egregiis observationibus et nova Umbelliferarum divisione, simulque adjuncta præstantissima Cryptogamarum in undecim familias distributione, quæ, vel mutatis familiarum nominibus, diu vulgo adhibita est.

Deinde septimo anno, qui fuit 1787, Weber *Supplementum* edidit Primitiarum illarum, quod species 38, quarum 27 sunt phanerogamæ, complectebatur. Hic, in ipso ore atque introitu libri, sese auctorem Primitiarum profitetur. Supplementum vero, etsi epitomen dedit Usterius in Annalen der Botanik part. 1, pag. 91-94, minus quam ipsæ Primitiæ hominibus innotuit. Fuerat autem consilium auctoris, post hos libros integram Floram Holsaticam edere, a quo consilio negotiorum fluctibus depulsum esse, dolere oportet eos, qui quantam jacturam hoc ipso nomine fecerit studium nostrum, judicare queant.

O. F. Müller annis 1775-82, quibus Floram Danicam edidit, Ducatus visisse, verisimile est; raras enim plantas multas, quæ non alibi in Dania inveniuntur, depictas habet.

Tum *M. Vahl*, vir summus, cui multa acceptа refert studium botanicum, annis 1795 et 1797 ad Ducatus, quos dixi, pervenit; quæque ibi conquisiverat, eorum multa per annos 1787-1804, quo tempore Floræ Danicæ edendæ præfuit, in eam recepit.

Qui nunc emeritus est Professor ad scholam cathedralem urbis Slesvici, *H. P. C. Esmarch*,

V. Cel. annis 1789-1796 VIII *Programmata*, Floram urbis Slesvici continentia, in publicum edidit; quæ post annum 1810, nonnullis partibus mutatis, denuo edita sunt hoc titulo: *Beschreibung der Gewächse, welche in einer Strecke von 2 Meilen um die Stadt Schleswig ohne Anbauung wild wachsen.* Schleswig, 8.

J. W. Hornemann, Professor celeberrimus, cujus singularia de hoc studio merita pauci æquabunt, jam anno 1792 in Holsatia profectus est, indeque petitas plantas non paucas in secunda editione Floræ Danicæ, privato ipsius consilio conscriptæ (*Forsög til en Dansk oeconomisk Plantelære.* Kjöbenhavn 1806.), proposuit; nam prima editio anni 1795, non nisi Danicas plantas continet. Post annum 1818 autem plura itinera in Ducatus suscepit, quorum fructus et fasciculis 27-32 majoris illius Floræ Danicæ, cui adornandæ inde ab anno 1805 præfuit, et libro suo de provinciis Daniæ, vegetatione diversis (*Bemærkninger angaaende Forskjellen af Vegetationen i de Danske Provindser.* Kjöbenhavn 1821, 4.), et tertia minoris Floræ editione (*Forsög til en Dansk oecon. Plantelære. Förste Deel.* Kjöbenhavn 1821, 8) inclusit. Neque quisquam ante eum fusius de plantis Lauenburgiæ egit; quamquam terra hæc, plantis divitissima, jam antea, annis, opinor, qui medii sunt inter 1780 et 1790, ab Ehrharto explorata erat; sed Hannoverana ejus Flora, quo Flora Lauenburgensis tum pertinebat, nunquam in publicum est emissa; quo factum, ut nihil ex ea cognoverimus aliud, nisi fragmenta quædam collectionum ejus, venalium quidem, sed rarissimarum.

Etiam *C. G. Rafn*, ante editam Floram suam

Daniæ et Holsatiæ (*Danmarks og Holsteens Flora, systematisk, physisk og oeconomisk bearbeidet.* 1-2 *Deel.* Kjöbenhavn 1796-1800, 8. quiliber non est ad finem perductus), Ducatus viserat, imprimis regionem circum Appenrade, unde plures plantas in libro suo proposuit.

F. G. Hayne, Professor Botanices Berolinensis celeberrimus, Floram Holsatiæ, postquam ultimo præcedentis seculi decennio circa Hamburgum in diligentissima plantarum investigatione versatus est, multis egregie a se inventis locupletavit; quæ quum in Usterii Annal. Bot., Roemeri Archiv der Botanik, Schraderi Journal der Botanik, Rothii Catalectis botanicis proposuit, tum præcipue in hoc libro, a se cum *F. Dreves* communiter edito: *Getreue Abbildungen und Zergliederungen Deutscher Gewächse.* Leipzig 1798-1818, 4. Tom. 1-3 cum 90 tabulis æneis. Quo libro continuatur alter ille a solo Dreves ante editus: *Botanisches Bilderbuch für die Jugend und Freunde der Pflanzenkunde.* Leipzig 1794-1795, 4 Tom. 1-2.

J. N. Bueck, V. D. in *Hoppe botan. Taschenbuch* (Regensburg, 8) anni 1801, quo anno ipse Hamburgi erat, pag. 86-113 indicem proposuit plantarum circa Hamburgum sponte crescentium; unde Primitiis Weberi accessio venit non spernenda.

Ex his catalogis Weberi et Esmarchi et Bueckii unum confecit *C. W. Ritter*: *Versuch eines Verzeichnisses der in den Herzogthümern Holstein und Schleswig wildwachsenden Pflanzen*, qui sic, nulla re auctus in Hoppe bot. Taschenb. anni 1803 pag. 157-180 legitur.

Idem scriptor post, anno 1808, eidem libro (pag. 236-248) inseruit catalogum rariorum plantarum in Ducatibus sponte nascentium; tum anno 1816 edidit librum hoc titulo: *Versuch einer Beschreibung der in den Herzogthümern Schleswig und Holstein und auf den angräntzenden Gebieten der freien Hansestädte Hamburg und Lübeck wildwachsenden Pflanzen mit sichtbarer Blüthe* etc. Tondern 1816. 8, cui prorsus nihil novi inest.

D. M. H. Mohr et *F. Weber*, Professores Kilienses, imprimis cryptogamas plantas aquaticas explorabant colligebantque, eam rem aliquando amplo opere tractaturi; sed intervenit (eheu!) præmatura mors; neque editus est nisi unus fasciculus, 55 species exsiccatas Algarum continens, anno, ni fallor, 1804 aut 1805.

Iisdem annis *Dr. C. D. Mössler*, V. Cel., multas fecit circa Hamburgum excursiones, comitantibus iis, qui scholas ejus audiebant. Sic factum, ut anno 1805 tironum gratia ederet librum inscriptum: *Taschenbuch der Botanik*, Hamburgi cum sex tabb. æn., quo comprehendit plantas fere omnes circa Hamburgum sponte crescentes. Eundem librum auctum iterum edidit hoc titulo: *Handbuch der Botanik*, Altonæ 1815, ubi etiam multæ enotatæ sunt plantæ ad Floram Hamburgensem pertinentes.

Neque silentio prætereundum, quod partim in herbariis, partim in manuscriptis amici, cujus memoria nunquam excidet ex animo meo, *Dr. Joannis Flügge*, quæ omnia post annum 1817 possideo, multas offendi raras plantas circa Hamburgum in Holsatia et Duc. Lauenburg lectas. Namque *Flügge*, etsi Floram earum regionem edere non constituerat, tamen ex

anno 1790, quo *Giseke* audivit, multa sibi de rarioribus Holsatiæ plantis notaverat. Qui, amissis hortis incendio suburbii Hamburgensis, in mediam Holsatiam se contulit, neque prius quam brevi ante vitæ exitum de plantis vernaculis quærere desivit.

Post annum 1808, quo anno prima mearum excursionum facta est, qua plantas circa Hamburgum et Altonam legi, omnia, in quæ incideram, notavi, ut prompta esset mihi et copiosa plantarum vernacularum notitia. Tum peregrinatus sum; ita tamen, ut patrios campos subinde in breve aliquod tempus reviserem; neque unquam revisi, quin novas repererim plantas; quo factum est, ut primum vere anni 1820, quum essem Ratzeburgi, terram Lauenburg accuratius explorare inciperem; deinde anno 1821 consilium caperem Floræ utriusque Ducatus, & Holsatiæ et Lauenburgiæ, conficiendæ; quibus postea tertium Ducatum Slesvicum addidi. Nec defuit conanti clementissimi Regis liberalitas, qua per quinquennium proximum adjutus vel remotissimas earum terrarum partes peragravi.

Et anno 1820 quidem, a mense Aprili ad Novembrem exeuntem, Ducatum Lauenburg exploravi, initio a lacubus, quorum multi sunt in ea terra, ut Ratzeburgersee, Schallsee cet. facto. Tum visi litora Baltici maris a Travemünde usque ad Wismariam in Duc. Megalopolitano; præterea sylvas Lauenburgiæ magnas, imprimis Sachsenwald; deinde utramque ripam vallis Albinæ ab urbibus Lauenburgo et Boitzenburgo usque ad Zollenspeicher in terra *Vierlande* dicta; postremo vallem fluvii Stechnitz et inferiorem partem ejus vallis, quam

perfluit Trave; neque minor cura interiori terræ cum multis illis, quibus abundat, paludibus, a me adhibita est.

Anno insequenti, 1821, jam Februario mense (fuit enim hiems lenissima) in oras maritimas ad Travemünde descendi, ubi magnam cryptogamarum plantarum copiam legi. Deinde id mihi maxime proposui, ut vernas plantas diligenter observarem. Tum revisis et Sachsenwald et vallibus eorum fluviorum, ad quos superiore anno perveneram, interiorem terram magis ad examen vocavi, nec non plures partes ejus terræ, quæ Oldesloh et Hamburgum interjacet. Tum litora percurri a Travemünde ad Neustadt, et, in altera parte opposita, ad Klütz in M. Duc. Megalopolitano.

Ineunte vere anni 1822 quum plures partes Lauenburgiæ visissem, imprimis vero eam, quæ orientem spectat, majus iter per oras Holsatiæ suscepi. Itaque præter eas regiones, quas adieram, totam Holsatiæ oram, quæ est orientem et septentrionem versus, a Neustadt, Cismar, Heiligenhaven usque ad Lütjenburg peragravi. Etiam in interiorem terram, hac parte rarioribus plantis ditissimam, deverti. Tum per superiorem vallem fluminis Trave usque ad caput ejus fluvii ad Gisselrade penetravi; deinde, percursis regionibus circum Eutin, Plöen, Pretz, Kilonium, vallem Albinam ab urbe Lauenburgo usque ad Wedel persequutus sum; hinc autem per Kellinghusen, mediam Holsatiam totam secans, Rendsburgum profectus sum. E qua urbe egressus vallem, quam perfluit Eidora, et quidem utramque ejus fluvii ripam usque ad ostium; tum Ditmarsiam omnem et oras ejus terræ exploravi. Quo facto, in Albinam vallem

cum vallibus confinibus fluviorum Stör, Krükau cet. reversus, per Altonam et Ratzeburgum sursum ascendi.

Anno 1823, multis excursionibus in vicinia Lubecæ factis, Neustadt et ericeta Seegebergensia visi; indeque porro progressus mediam terram exploravi usque ad Pretz et Kilonium; tum Præposituram, Lütjenburg atque Heiligenhaven, et Fehmern; vallem Eidoræ a Holtenau ad Rendsburgum; oras Ditmarsiæ, Albisque vallem usque ad Altonam. Reversus sum Ratzeburgum per transversam Holsatiam oppidaque Elmshorn et Oldesloh.

Eodem anno, mense Octobri iter feci in Duc. Slesvicum, per Kilonium, Angeln, urbem Slesvicum, Flensburgum usque ad Tondern; unde domum rediens litus maritimum inde a Kilonio ad Heiligenhaven, quo algas legerem, peragravi.

Primo vere anni 1824 in sylva *Sachsenwald* dicta, ubi largam cryptogamarum copiam legi, peracto, latiores feci in Lauenburgensi agro excursiones; tum partem Holsatiæ a Seegeberg ad Hamburgum, post autem Ratzeburgum, denique, Hafniam navigaturus, Travemünde revisi.

Hafniæ hieme peracta, ineunte mense Majo a. 1825 per Sjællandiam et Fionam et partem Jütlandiæ in Ducatum Slesvicum profectus, sex menses in perpetua ejus terræ exploratione versatus sum. Nam primo mense quum adiissem partem orientalem, inde, ex urbe Appenrade egressus, per Ripam Fanöe perveni. Hic omnibus insulis, quæ in mari Germanico positæ usque ad Nordstrand pertinent, numero viginti et quod excedit, exploratis, per Eyder-

staedt et Husum mediumque Slesvicum Appenroam profectus, itidem omnes insulas Baltici maris, quæ quidem Slesvico adjacent, ut Alsen, Ærröe, Fehmern, ne minoribus quidem, ut Aaröe cet., exclusis, tum vero totam partem Slesvici orientalem a Coldingia usque ad Frederiksort, interiore terra tamen non posthabita, peragravi. Tandem, Septembri et Octobri mensibus iterum parte insularum occidentalium, Sylt et Röm, revisa, Hafniam ita reversus sum, ut inter eundum semper plantis legendis operam dederim. Ultimum hoc iter, licet multos haberet labores, tamen a nullo eorum itinerum, quæ quidem feci, jucunditate inventorum superatur; insularum Flora præsertim, quia nondum alienis accessionibus turbata erat, largam considerandi materiem præbente.

Præterquam quod ita per sexennium Ducatus tres pervagatus sum, etiam necessitate quadam coactus vicinarum terrarum Floras comparavi. Cujus rei exemplum sufficiat hoc: Albis, qui in Ducatu Lauenburg non nimis latus est, ex altioribus regionibus multas secum ducere videtur plantas, ut *Senecionem saracenicum, Plantaginem arenariam, Mentham Pulegium, Isnardiam palustrem, Waldschmidtiam nymphoidem, Eryngium campestre, Chærophyllum bulbosum, Scirpum radicantem, Euphorbiam esulam* et *palustrem, Dianthum Carthusianorum, Veronicam spicatam* et *longifoliam, Gratiolàm officinalem, Tràpam natantem, Oenotheram muricatam, Allium schoenoprasum, Violam lacteam* cet. cet. Iam vero in Lauenburgia ad Albim prope Gesthacht posita est regio quædam depressa, *Besenhorst* dicta, quæ majorem partem habet harum plan-

tarum, ubi pæne quotannis mutantur ripæ fluvii impetu aquarum, ex superiore Albi majore minoreve mole irruentium; et ita mutantur vero, ut amne vehementius ingruente sæpe magna pars ripæ abluta alteri ripæ adjiciatur; quo fit, ut ripæ tum crescant, tum minuantur. Sed eadem de causa ridiculum fuisset, si plantas, quæ in communi valle modo cis modo trans flumen nascerentur, ex Flora mea exclusissem. Utraque ripa igitur æque mihi noscenda erat; nec, si quis naturam vult scrutari, huic civitatium fines magis sunt, quam quos ipsa natura posuit, servandi. Sed, accedit et alia magna necessitas ex veris plantarum nominibus eruendis et synonymis definiendis, qua, qui in unius terræ Flora occupatus est, sæpe ad vicinas terras respicere cogatur. Itaque quum annis jam 1811 & 1812, crebris excursionibus circa Sverinum factis, in notitiam aliquam Floræ Megalopolitanæ intrassem, et aliquanto post beatum *Wredow,* scriptorem Floræ Megalopolitanæ, amicum nactus, totum herbarium ejus evolvissem, anno 1823 duo itinera per M. Duc. Megalopolitanum suscepi, pluresque offendi plantas, hactenus frustra apud nos quæsitas, quarum præ ceteris notandæ sunt *Pedicularis sceptrum, Primula farinosa, Neottia repens, Nymphaea pumila, Alisma parnassifolium, Astragalus Cicer.* Atque eam terræ ejus partem præcipue visitavi, in qua *Timm,* primus ille Megalopolitanæ Floræ auctor, investigando et quærendo versatus fuerat. Tum Neobrandenburgum ad Celeb. *Schultz,* Cons. aul., auctorem *Prodromi Floræ Stargardensis,* me contuli. Post, altero itinere Dobberan et Rostockium per Wismariam profectus ad VV. Cell.,

Prof. Flörke et *Dr. Detharding* veni. Et hi viri sane ita me edoctum dimiserunt, ut, non esse me in ea Flora plane peregrinum, jure quodam profiteri posse mihi videar.

Hafniæ, optatissima scientiæ cupidis propter litterarum thesauros urbe, præter bimestrem commorationem exeunte auctumno anni 1821, integras duas hiemes peregi, annorum 1825 et 1826, ut plantas Ducatuum a me magno numero collectas, accuratius cum gravissimis illis herbariis *Vahlii* et *Rottboellii,* nec non cum herbariis celeberrimorum Professorum *C. F. Schumacher, J. W. Hornemann, J. F. Schouw,* compararem, certiusque definirem. Et adjuvit me promptissima horum, quos proxime nominavi, triumvirorum humanitas, quum et summa liberalitate me ad thesauros suos omnes, nullo excepto, admitterent, et singulari officio omnia, quæ ad studia mea facere possent, desideria, siqua vel leviter in sermone jecissem, explere conarentur. Eandem humanitatem doctissimi viri *N. Hofman-Bang* in Fiona expertus sum, qui benignitate sane rara non modo operam dedit, ut, siquid de Flora vernacula dubitarem aut minus certum haberem, id, missis plantis septentrionalibus et maxime quidem aquaticis cryptogamis, omne tolleret atque expediret, verum etiam ipse intra terminos prædii sui multa in vivis plantis mihi monstravit. Simul gratus agnosco, patuisse mihi aditum ad bibliothecas, quæ sunt ditissimæ, et publicas et privatas, unde raro infecta re abii.

Hic, quum partem veris et æstatis hujus anni in rariores plantas Floræ Sjællandicæ noscendas impendissem, eoque consilio non so-

lum cum amicis meis CC. PP. *Hornemann* et *Schouw* publicas omnes, sed etiam privatas multas fecissem excursiones, contigit, ut, quas Dania præ Ducatibus proprias sibi vindicat plantas, earum propemodum omnes reperirem vivasque examinarem. Quo factum est, ut nunc exiguus restet numerus earum, quas non viderim; et sunt eæ fere ejusmodi, quæ solum calcarium aut cretaceum ament, quale in Ducatibus semper frustra quæsivi.

Humanitate heredum beati *Weberi* ad herbarium Weberianum, antequam veniit, in usum Floræ meæ evolvendum admissus sum. Continebat hoc herbarium non modo ea, quæ ipse *F. Weber*, filius, collegerat, sed etiam collectiones *Mohrii*, et ante omnia Ill. *Weberi*, patris, in cujus herbario multæ inerant plantæ ad *Floram Holsatiæ*, nec non ad *Floram Göttingensem* et *Hercyniam* pertinentes, quæ plantis, in Spicilegio Floræ Goettingensis et Primitiis Fl. Holsaticæ descriptis, pro testimonio essent. Quod mihi eo majorem attulit utilitatem, quia in multis rarioribus Primitiarum plantis loca non sunt notata, unde, nisi fontem ipsum adire potuissem, id incommodi sequeretur, ut ex solis nominibus plantæ ipsæ inveniri non possent. Ceterum, in quibus plantis indicata erant loca, eas sæpius quærere nunquam neglexi, neque nisi paucas frustra quæsivi. Præterea facilitate plurium ex eorum numero, qui antea Ill. Weberum audiverant, in quibus honorifice nomino VV. Venn. *Bargum* et *Froelich*, et V. Amp. *Schulzt*, factum est, ut multas ex eorum herbariis noverim Weberianas plantas, quum ipsa ea herbaria, quo tempore

Weberum audirent, instituta, multa continerent specimina ipsius Weberi auctoritate consignata. Quibus omnibus inter se collatis, videor ad notitiam pervenisse plantarum ab Ill. Webero in Primitiis propositarum satis amplam atque copiosam.

Præter eos, quos commemoravi, etiam alii complures VV. DD. me adjuverunt, quum vel ea, quæ ipsi collegissent et observassent, vel ea, quæ me edocere et commonefacere possent, officiosissime mecum communicarent. Sunt eorum nomina, quæ gratissimo sane animo a me describuntur, hæc: *C. F. L. Arndt*, *J. Bok*, *J. N. Bueck*, *C. F. Ecklon*, *T. Forchhammer*, *O. J. Freuchen*, *H. P. C. Esmarch*, *C. Gütschow*, *H. Grabau*, *F. G. Hayne*, *G. F. D. Henniges*, *Kindt*, *J. G. C. Lehmann*, *W. B. v. Linstow*, *J. F. C. Lucas*, *Markwort*, *Mauch*, *F. C. Mertens*, *J. J. Meyer*, *J. J. P. Moldenhawer*, *A. Mörk*, *A. W. Neuber*, *H. D. Prien*, *Pries*, *Rhode*, *G.* et *W. Saxesen.*

Hæc fere sunt, quæ ad futuram Floram Ducatuum trium, inclusis agris oppidanis urbium hanseaticarum Hamburgi et Lübecæ, conquisivi. Et tamen, licet multa observaverim, multa comparaverim, nonnulla etiam perscripserim et quodammodo absolverim, semper nova inveniuntur; necdum omnes Ducatuum partes satis exploratæ sunt, et restant in quibusdam plantis dubia multa, quæ non nisi continuata earum cultura removeri possunt. Quare, quum munus Professoris Botanices in Univ. Kiloniensi, ad me delatum, latiorem mihi aperiat campum optimamque præbeat occasionem, ut opus studio atque amore inceptum persequar, jam sic, quemadmodum an-

tea solitus sum pericula facere plantas colendi, in hoc ipso persistam, neque nimis maturabo editionem Floræ meæ, omnia, quæcunque in eam recipientur, ad consilium institutum examinaturus. Attamen, ut studiosis Floræ patriæ patefiat conspectus quidam eorum, quæ post editas illas Primitias inventa sunt, huncce emitto indicem 500 plantarum phanerogamarum, quæ, paucis aliquot exceptis, illi libro desunt; quibus ita adjunctis, ambitum quasi et numerum quendam earum, quæ hactenus repertæ sunt, plantarum phanerogamarum cernere licet; quamquam non omnia allata esse, scio; sed excitari volo alios ad studium investigandi. Idem cryptogamas plantas ex hoc indice exclusi omnes, etsi tot habeo in promptu, ut, receptis iis, vel ter tantus foret libellus; sed eas in futurum additamentum conferam. Verumtamen, ne nudam exhiberem enumerationem, passim, siqua de generatione plantarum quarundam observasse mihi visus sum, hæc addidi; tum de synonymis nonnulla; et in rarioribus plantis quum loca tum primos inventores notavi. Neque, quod plantas plus sexaginta, pro origine sua ab hac Flora alienas, recepi, ideo severum judicium subiturum esse me, spero; nam primum hæ asterisco notatæ sunt; deinde Primitiarum exemplo id facio; tum difficillimum est limites ponere inter ejusmodi plantas inquilinas et eas, quæ in rudere aut semper prope humanas sedes reperiuntur, ut pateat, utrum indigenæ sint, nec ne; quales sunt ex. c. *Ballota nigra, Marrubium vulgare, Leonurus Cardiaca, Senebiera Coronopus, Senecio vulgaris, Amaranthus Blitum, Xanthium Strumarium, Aristolochia*

Clematitis, Inula Pulicaria, Erigeron canadense, Erysimum officinale, Sisymbrium Sophia, Nepeta cataria, Pastinaca sativa, Æthusa Cynapium, Conium maculatum; plura Chenopodia Atriplicia, plures species *Cardui.* Offenduntur vero minus versati, quum plantam copiosissime et quasi sponte (id quod existimare coguntur) crescentem invenerunt, inventam autem frustra in Flora quærunt. Quare equidem, re satis perpensa, has plantas certo signo præ ceteris distinctas recipere cogito.

Floram Danicam ante ceteras omnes citare soleo, quum propter icones accurate factas, tum præsertim quod in multorum manibus est hoc opus. Ita apud nos Regio decreto in singulis Dioecesibus et Ducatibus aut bina aut plura exemplaria volenti cuique publice patent, ne domestico quidem usu, si quis vero studio fertur, excluso. Quæ est propria et præcipua Daniæ laus; quum nulla terra alia ejusmodi habeat opus, quod sit tantæ magnitudinis totque contineat ex omnibus Systematis partibus plantas. Editur autem Regiis impensis.

Nominibus plantarum adjunxi nomina eorum, qui primi invenerunt aut proposuerunt, sive ea in recentioribus Systematis editionibus allata sunt, sive non sunt; nec nisi raro, sicubi errores aut dubitationes vitare cogebar, hanc regulam deserui.

Simul hoc adjicio, herbarium a me una cum ipsa Flora, ad quam totum referatur, adornari, publice, post editam Floram, Kiliæ deponendum; quo, si quid in dubio reliquerint vel descriptiones meæ vel ea, quæ citavi, ipsæ plantæ inspici possint.

Ditissimam esse pro nostro coelo Slesvici atque Holsatiæ et Lauenburgiæ Floram, quæ fere 1300 phanerogamas plantas contineat, negari nequit. Quin reperiuntur apud nos in majoribus sylvis, imprimis in parte orientali, plantæ non paucæ, quas non nisi in editioribus regionibus, quales sunt montes Hercynii, Thuringia, denuo invenias, frustra autem in vicinis terris quæras. Exemplo sint: *Tussilago alba*, *Carduus heterophyllus, rigens*, *Luzula maxima*, *Primula vulgaris* (*acaulis*), *Festusa sylvatica*, *Campanula latifolia*, *Convallaria verticillata*, *Melampyrum sylvaticum*, *Chrysosplenium oppositifolium*, *Cardamine sylvatica*, *Dentaria bulbifera*, *Veronica montana*, *Ranunculus lanuginosus*, *Equisetum Telmateia et umbrosum.*

Subalpinæ plantæ apud nos in paludibus turfosis hæ reperiuntur: *Swertia perennis*, *Eriophorum alpinum*; et in lacubus hæ: *Isoëtes lacustris*, *Conferva ægagropila*, *Subularia aquatica* (fide Weberi).

Ex plantis, quæ proprie dicuntur septentrionales, has habemus, satis insignes: *Cornum suecicam*, *Lobeliam Dortmanni*, *Lathyrum palustrem*, *Caricem chordorrhizam*, *Buxbaumii*, *Arundinem strictam*, *balticam*, *festucaceam*, *Holcum borealem*, *Schoenum album*, *fuscum*, *Tofjeldiam palustrem*, *Thalictrum simplex*, *Ranunculum reptantem*, *Ornithogalum spathaceum*, *Callitrichen auctumnalem*, *Ledum palustre*, *Andromedam polifoliam*, *Cinclidium stygium*, *Meesiam uliginosam*, *dealbatam*, *longisetam*, *Splachnum ampullaceum*, *Tillœam aquaticam.*

Ad Floram meridionalem hæ species per-

tinent: *Senecio saracenicus, Plantago arenaria, Mentha Pulegium, Isnardia palustris, Leersia oryzoides, Scirpus radicans, ovatus, Fedia dentata, Campanula hybrida, Melampyrum arvense, Caucalis daucoides, nodosa, Scandix Pecten, Waldschmidtia nymphoides, Eryngium campestre, Centaurea Calcitrapa, Veronica triphyllos, Chærophyllum bulbosum, Scirpus triqueter, Euphorbia Cyparissias, palustris, Dianthus carthusianorum, Veronica longifolia et spicata, Gratiola officinalis, Trapa natans, Oenothera muricata, Allium sphærocephalum, Salvinia natans, Luzula Forsteri, albida, Athamanta Libanotis.*

In Dunis nostris, idque in arena soluta, hæ nascuntur: *Rosa spinosissima, Cucubalus Otites, Trigonella ornithopodioides, Juncus pygmæus, Spergula subulata, Galium pusillum, Aira glauca, Arundo arenaria* cet.

In paludibus nostris atque ericetis turfosis rariores hæ inveniuntur plantæ: *Arbutus Uva Ursi, Narthecium ossifragum, Scheuchzeria palustris, Stellaria crassifolia, Exacum filiforme, Sparganium natans, Juncus Tenageia, Scirpus fluitans, Myrica Gale, Malaxis Loeselii, paludosa, Corallorrhiza innata, Sison inundatum.*

In litoribus nostris multæ sunt et maxime insignes plantæ litorales, quarum has attulisse sufficiat: *Cramben maritimam, Eryngium maritimum, Cochleariam officinalem, danicam, anglicam, Pisum maritimum, Lotum maritimum, Staticen Limonium, Juncum maritimum, Oenanthen megapolitanam, Saginam maritimam, Caricem extensam, binervam, ful-*

vam, *Atriplex portulacoides*, *pedunculatum*, *litorale*, *hastatum*, *laciniatum*, *Salicorniam radicantem*, *Scirpum glaucum*, *rufum*, *pungentem*, *Arundinem arenariam*, *Phleum arenarium*, *Elymum arenarium*, *Hordeum maritimum*, *Triticum junceum*, *Kochiam hirsutam*, *Betam maritimam*, *Bupleurum tenuissimum*, *Arenariam mediam*, *peploidem*, *Lepidium latifolium*, *Sonchum palustrem*, *Althæam officinalem*, *Artemisiam maritimam*, *Hippophaën rhamnoidem*, *Zanichelliam polycarpam et maritimam*, *Najadem marinam*, cet.

Lacus nostri pulcherrimis plantis aquaticis pleni sunt, quarum duntaxat nominabo duo illa insignia genera *Potamogetonis* et *Charæ*, quæ tot species amplectuntur; tum *Ceratophyllum demersum* ac *submersum* et *Alisma natans.*

Hæc nomina scribenti in mentem venit, tirones monere, ut animum quam maxime advertant et ad solum ac loci naturam, ubi quæque plantæ nascantur, et ad eam plurium plantarum societatem, qua soleant conjunctim crescere. Id qui fecerit, nova multa inveniet, quæ vix ipse exspectavit. Ac ne quis hæc aliter, atque ipse volo, intelligat, exempla nonnulla afferam: In lacubus si invenitur *Lobelia Dortmanni*, hæ plantae comites adesse solent: *Isoëtes lacustris*, *Litorella lacustris*, *Ranunculus reptans*, *Subularia aquatica* (observante Oedero), *Conferva ægagropila.* Ad litus in paludosis *Juncus maritimus* sæpe deprehenditur cum *Oenanthe megapolitana*, *Carice extensa*, *Erythræa litorali.* In ericetis paludosis *Exacum filiforme* fere semper cum *Junco Tenageia*, *Centunculo minimo*, *Radiola millegrana*, *Gen-*

tiana pneumonanthe, Scirpo cespitoso, Schoeno albo reperitur. In sylvis *Ilex aquifolium* nascitur una cum *Aro maculato, Epipactide Nido avis, latifolia, Festuca sylvatica, Elymo europæo* cet. cet.

Spectant hæc exempla tantum nostras et finitimas regiones; sed eodem modo suas quodque solum fert plantas. Quo fit, ut ex plantis sæpe divinare liceat, quæ sit soli natura.

Postremo omnibus, qui noverunt et amant Floram patriam, auctor sum, ut largissimam, quæ Ducatibus nostris inest, plantarum copiam explorent, meque plantis et observationibus adjuvent, quæ ita accipiam, ut datorum nomina non solum grato animo prosequar, sed etiam honorificæ memoriæ causa litteris demandem. Et adhortor quidem maxime ad studium vernacularum plantarum, unam viam rectam existimans eam, qua quis *suis oculis, suo judicio* in spontaneis plantis utatur.

Extra Ducatus autem si cui videbitur esse in hoc libello aliquid allatum, quod sit desiderio dignum, ei rogatus pro viribus libenter præbebo. Simul moneo, me nomine horti botanici Kiliensis tam exsiccatas plantas quam semina et vivas plantas cum aliis permutanda offerre, datum quodcunque grato animo et in spem referendæ gratiæ accepturus.

Hæc ut benevolo animo a me sunt conscripta, sic utinam benevole ab aliis legantur. Atque utinam semper augeatur eorum numerus, qui amorem et industriam suam omnem in hoc studium ornandum ac locupletandum conferant.

E. F. Nolte.

Datum in horto botanico Hafniensi,
mense Junio anni 1826.

Classis I.

MONANDRIA.

Monogynia.

1. *Salicornia radicans* SMITH.

S. Caule sublignoso; basi radicante, geniculis compressis emarginatis; internodiis cylindraceis, spicis oblongis, floribus diandris.

Engl. bot. tab. 1691.

In argillaceis extremi litoris marini, quod est extra moles mari oppositas (Aussendeiche) Ditmarsiæ septentrionalis.

Floret mense Septembri.

Externus totius plantæ habitus diversus est a *S. herbacea*, quæ, quamquam et ad Germanicum et ad Balticum mare formis quam maxime variis invenitur, semper tamen minor est *S. radicanti*, neque unquam tam lignosa tamque tenuibus et porrectis internodiis; sunt spicæ quoque longiores et tenuiores. Utrum re vera perennis sit radix *S. radicantis*, nec ne, dijudicari a me non poterit, priusquam sæpius hanc plantam observavero.

Post cogito descriptionem edere structuræ fructus, quam in vernaculis specc. comperi diversam esse ab ea, quam Gærtnerus de Fruct. &

Sem. 2 p. 210 in peregrina specie *S. strobilacea* descripsit.

Classis II.

DIANDRIA.

Monogynia.

2. *Syringa vulgaris* L*

3. *Circæa alpina* L.

C. Caule glaberrimo, foliis cordatis acuminatis dentatis, capsulis clavatis.

Per tres Ducatus omnes frequentissima in humo frondacea sylvarum majorum.

Delineata est accuratissime in tab. 1321 Floræ Dan.

Qui nuper voluerunt, hanc non esse speciem, sed varietatem montanam *C. lutetianæ*, iis non assentior; nam fructus *C. lutetianæ* id sibi peculiare habent, quod sunt forma ovato-globosa; ne afferam cetera omnia, quibus differant flores, folia, universæ denique plantæ structura. Jam vero si clima effecisset, ut ex *C. lutetiana* varietate quadam existeret *C. alpina*, quid est, quod hæ duæ vel tres species apud nos una ex eodem solo nascantur?

4. *Circæa intermedia* EHRH.

Apud nos per tres Ducatus omnes obvia, minus tamen frequens quam utraque superiorum.

Speciesne sit hæc planta, an modo varietas alterutrius superiorum, nunc in medio relinquo. Flores majores sunt, quam flores *C. lutetianæ*,

fructus minores magisque oblongi; statura autem et foliis *C. alpinæ* similior est.

5. *Veronica spicata* L.

Raro obvia, ut in ripa Albis altiore inter Altonam et Flottbeck.

6. *Veronica prostrata* L.

In ericetis quibusdam inter Hamburgum et Lauenburgum a Prof. Lehmanno deprehensa; et legerat jam Dr. Mössler ad eandem urbem.

7. *Veronica Buxbaumii* TENOR.

V. filiformis Auct. non L. — In agris ante portam Lubecæ Burgensem. *Wolf.*

8. *Veronica peregrina* L.

Adest in herbario Flüggeano, ad Albim prope Hamburgum lecta.

9. *Utricularia intermedia* HAYNE.

Frequens in paludibus Eppendorfensibus ad Alsterkrug, ad Arensburg, ad Kleingrünau, ad Fortkrug in Duc. Lauenburgensi, nec non in Slesvico ad Appenrade aliisque locis compluribus.

Propagatur et hæc et ceteræ duæ species, *U. vulgaris* et *minor*, apud nos fere non nisi per *Propagines*. Nam quo tempore deflorescit, ramus terminalis gemmam protrudit, quæ sub auctumnum sensim accrescit in magnitudinem pisi aut fabulæ. Quo magis autem hæc gemma crescit, eo magis emoriuntur folia plantæ maternæ, ita ut hæc interdum jam Augusto mense prorsus destructa sit, excepta gemma terminali, quæ etiam nunc apta est tenui filo fusci coloris, quod filum tamen alio modo nullo cum fundo paludis, cui inest planta, cohæret. Exsiccata palude, hæc gemma in limo remanens, multis variisque

rebus incidentibus cooperta, oculis nostris subtrahitur. Sed quum iterum inundatur palus, gemma, nisi forte nimis sit alienis corporibus obruta, ipso auctumno in aquæ superficiem fertur, ibique natans sæpe iterum folia mittit, procreatque denuo gemmam terminalem, quæ quo serius nascitur, eo major fit plerumque. Ea, postquam magnitudine parvam nucem æquavit, plane disjungitur a planta materna, quæ deinde putredine solvitur. Hanc plantæ naturam per duas hiemes observavi, semperque aquæ libere innatantem reperi. Sed quum aquæ superficies gelu concrescit, deorsum in fundum labitur. Martio autem et Aprili mensibus in aquæ superficiem elata totam longitudinem suam explicat, quo facto paulatim et folia nascuntur et singuli rami dependentes ampullis obsiti spiraliterque involuti. Et hi quidem rami, qui sine dubio radicum loco sunt, quamquam deorsum pendent, nullam tamen cum fundo paludis, in qua est planta, communitatem habent; ita, ut hæc planta non minus quam *Lemnæ* species *Salvinia natans*, *Riccia natans*, *Aldrovanda vesiculosa* existimari possit esse vere *libera* sive *natans*. Ineunte mense Junio, postquam ad magnitudinem 6 aut 8 pollicum pervenit, gemmas agit, quo facto singularis suæ generationis orbem repetit.

Utricularia vulgaris et *minor* omnino eodem modo propagantur, nisi quod in *U. vulgari* majores sunt gemmæ, in *U. minore* multo minores quam in *U. intermedia;* et reperiuntur interdum gemmæ *U. vulgaris*, quæ diutius adhæreant rudimento plantæ maternæ; neque habent *U. vulgaris* et *minor* ramos ampulliferos, ab reliquis

distinctos, sed in eodem ramo et ampullæ sunt et folia. Tres has species omnes non solum per duos annos sub divo observavi, sed ex gemmis, mensibus Novembri et Decembri collectis, domi perpetuo recentes plantas elicui, quæ tamen flores nullos ediderunt. Ceterum Hayneo has gemmas propagines vocanti omnino assentior, quia, quod summa cum fiducia contendere possum, plane a matre disjunguntur. Est autem hæc propagatio in aquaticis plantis multo frequentior, quam vulgo putant. Qua de re aliis locis, ut in *Myriophyllo*, *Ceratophyllo*, *Hydrocharite*, *Lobelia*, *Lemna* cet. similes observationes proponam.

Classis III.

TRIANDRIA.

Monogynia.

10. *Valeriana sylvatica* SCHMIDT.

Schmidt Flora Boënic. Cent. 2. No. 102.

V. Phu Hoppe. Taschenb. 1801. pag. 91.

Non satis liquet, utrum hæc propriam speciem efficiat, an existimanda sit esse varietas *V. dioicæ*, a qua et duplici magnitudine et hermaphroditis floribus et foliis caulinis, quæ foliis *V. officinalis* plane similia sunt, discernitur.

Reperi eam in paludosis Piinsdorfensibus apud Itzehoam, et ad Schlagsbrücke prope Ratzeburgum.

11. *Fedia dentata* VAHL.

12. *Schoenus fuscus* L.

Per tres Ducatus omnes sæpe obvia cum *Schoeno albo;* præsertim frequens in occidentali parte Holsatiæ et Slesvici inque ipsis adeo insulis, quæ occasum spectant, ut in Röm. *Schoenum nigricantem* L. a Webero in Ducatibus deprehensum, popularibus meis, qui denuo investigetur, vehementer commendo.

13. *Scirpus pauciflorus* LIGHTFOOT.

Flor. Dan. tab. 1862.

In omnibus Ducatibus non rarus, partim in ericetis paludosis, partim ad litus marinum.

S. pauciflorum sive *bæothryon* Ehrh. a *S. campestri* Roth. ita sejungere, ut sint duæ species, naturæ prorsus repugnat. Nuper quidem stylo *S. bæothryi* basis bulbosa, quæ desit *S. campestri*, adscripta est; ea vero neque in hac neque in illa reperitur.

Minor hujus plantæ forma, quam Roth nomine *S. campestris* notat, ipsa est Ehrharti *S. bæothryon* (Phytophylac. No. 31), ut vel nomen ipsum docet; majorem formam Ehrhartus non videtur novisse! Etiam radix, quam in minore forma fibrosam, in majore repentem esse volunt, in utraque similis est, quam equidem proclivis sum ut dicam esse fibrosam, interdum viticulosam.

14. *Scirpus multicaulis* SMITH.

Engl. bot. 1187. Flor. Dan. fasc. 33 inedit.

In arenosis palustribus insulæ Röm.

Nulla est fere inter vernaculas species, in qua agnoscenda tam sæpe sit peccatum, quam in hac, etsi notas habet satis definitas; sunt enim hæ:

1) Crescit cespitis in modum, pæne ut *S. cespitosus;* nunquam repentem habet radicem, sed fibrosam validam.

2) Vaginæ, quæ culmorum bases amplectuntur, sunt truncatæ, lateraliter apiculatæ, validis nervis instructæ, interque nervos parvis punctis rubris eminentibus distinctæ.
3) Spica magis pauciflora et laxa, quam in *S. palustri;* densior tamen quam in *S. paucifloro.*
4) Squamæ angustiores magisque obtusæ quam in *S. palustri.*
5) Infima squamarum, quæ spicam amplectitur, apice est emarginato.
6) Semper habet tria stigmata, qua re similis est *S. paucifloro.*
7) Semina sunt, propemodum ut in *S. paucifloro*, triangularia, angustiora quam in *S. palustri*, nitida atque cæsio colore, perspicuâ styli basi nigrâ et bulbosâ, setis nonnullis asperulis et fuscis circumdata.

Certi nihil citari potest, nisi Smith Compend. Flor. Brit. p. 9. et English Flora I. p. 64.

15. *Scirpus uniglumis* LINK.

In Holsatia et Slesvico ad litus marinum. Nondum hanc tanquam propriam speciem sine dubitatione admittere possum, quæ nimium *S. palustri* affinis esse mihi videatur. Est hæc planta, quæ in collectionibus vulgo definitur nomine *S. multicaulis.* Delineata est in Flor. Dan. tab. 167, ubi vocatur *S. acicularis;* suntque antiquiora synonyma: *S. multiculmis* Hornemann. Plantelære ed. 2 p. 41 et *S. tenuis* Schreber. Flor. Erlangens. p. 159.

16. *Scirpus ovatus* ROTH.

Pluribus locis per Duc. Lauenburg et Holsa-

tiam in piscinis aqua vacuis.

Flor. Dan. tab. 1801.

17. *Scirpus nanus* SPRENG.

Raro in Duc. Lauenburg.

Obtinet medium locum inter *S. fluitantem* et *acicularem*, nisi quod fructus setis circumdatus est, quæ setæ *S. fluitanti* desunt, in *S. aciculari*, quum in Suecicis tum in Berolinensibus speciminibus, adsunt.

18. *Scirpus fluitans* L.

In omnibus Ducatibus haud rarus.

Flor. Dan. tab. 1082.

19. *Scirpus rufus* FLUEGG.

Non rarus in Holsatia et Slesvico ad Balticum et Germanicum mare; ubi variat inter magnitudinem duarum et sedecim pollicum. Apud nos nulla habet vestigia setarum circa semina positarum, qua re statim discernitur a *S. caricino* Schrad. Frequenti errore varietatem parvulam *S. caricini* ad litus marinum crescentem pro hoc nostro sumunt. Vult Ccl. Bernhardi, *Scirpum bifolium* Wallroth. (Sched. critic. I. p. 27) tantummodo varietatem hujus plantæ esse. Attamen ex descriptione Wallrothii Flüggeana planta diversa esse videtur.

20. *Scirpus glaucus* SMITH.

Frequens ad litora Holsatiæ et Slesvici, ad salinas Oldesloenses, ad Albim et Eidoram. Synonyma huc pertinentia sunt *S. holoschœnus* Oed. Flor. Dan. tab. 454 et *S. Tabernæmontani* Gmelin. Flor. Baden. I. p. 101.

Oederi planta, quæ ab ipso Vahlio, Enum. 2 p. 264, perperam ad Linnei *S. holoschœnum* citatur, sine ullo dubio est *S. glaucus* Sm., quod

in loco ipso ad Tychopolin, qui ab Oedero indicatus est, facile mihi persuasi.

Certum est, Gmelini nomen ex errore quodam profectum esse, quum *Juncus s. Scirpus medius* Tabernæmontani vix ad hanc, sed propter angulatum culmum ad sequentem speciem pertineat; neque adeo in sylvis crescat, ubi ponitur a Tabernæmontano, qui etiam de colore perquam insigni mentionem nullam facit. Vid. Tabernæmontani Kräuterbuch I. p. 566 No. 5.

21. *Scirpus trigonus* ROTH.

S. trigonus Roth. Neue Beytr. I. p. 90.

Ad Albim et Eidoram.

Synonyma sunt: *S. carinatus* Smith Engl. bot. 1983. *S. Duvalii* Hoppe in Sturm. Flor. Deutsch. fasc. 36 et Mertens et Koch Flor. Deutsch. I. p. 435. *Juncus s. Scirpus medius* Tabernæmontani.

Flor. Dan. tab. 1743.

22. *Scirpus triqueter* L.

Ad Albim et Eidoram.

Synonyma sunt: *S. mucronatus* Host. Gram. 3 p. 44. tab. 66; *S. triqueter* Engl. bot. tab. 1694 et Sturm. Flor. Germ. fasc. 36.

23. *Scirpus pungens* VAHL.

Ad Albim a Duc. Lauenburg usque ad ostium ejus fluvii.

Vahl. Enumerat. plant. 2. p. 255 fid. herb. Vahlii.

Synonyma sunt: *S. mucronatus* Ehrhart, Gram. No. 2. *S. triqueter* Roth. Neue Beyträge I. p. 91 et Flor. Dan. tab. 1563. *S. triqueter* β Smith. Engl. Fl. I. p. 60. *S. Rothii* Hoppe in

Sturm. Flor. Germ. fasc. 36. Mertens et Koch Flor. Germ. I. p. 437.

Qui has ultimas species in ipso loco perscrutatus erit, is, licet in collectionibus simillimæ sibi videantur plantæ, vix dubitabit, quin justas efficiant species.

S. glaucus omnium maxime *S. lacustri* affinis est, sed radice et genitalibus certissime abhorret.

Scirpus *trigonus* habet culmum trigonum,
- *triqueter* - - triangularem s. tricarinatum
- *pungens* - - triquetrum.

Priorum utriusque spiculæ modo sunt sessiles, modo pedunculatæ; in tertia specie semper sessiles sunt. *S. trigonus* radicem habet validam, lignosam, repentem; uterque autem reliquorum magis chordæformem radicem habet. *S. trigono* involucrum spathæforme simile pæne est atque *S. lacustri*, ad quem etiam universa hæc planta propius accedit; sed uterque ceterorum involucrum habet in triangulare culmi acumen exiens. In tertia specie duplo longius est quam in secunda, eademque ratio est foliorum radicalium, quorum plura adsunt. Squamæ sunt *S. pungenti* nitidæ ac badeæ, et nervo admodum eminenti, qui in mucrone desinit, trajectæ. Priores illæ duæ species semen habent setis circumdatum, qvæ setæ *S. pungenti* prorsus desunt. Ac mihi quidem hac ipsa re, quæ a nullo scriptore commemorata est, tanto firmius constituta hæc species videtur.

Est id autem in dubio, utrum species Commersoniana ex Insula Franciæ, quæ in herbario Vahliano juxta posita est, huc pertineat, nec ne; nimis est enim id exemplum mancum, cui qui-

dem esse setas Vahlius dicit, verumtamen Europæa Vahlii species, quam ex Albi miserat Ehrhart, quam ipse Vahl anno 1783 frequenter legerat in variis uliginosis circa Bayonnam, certe nullas habet setas.

24. *Scirpus radicans* SCHKUHR.

In piscinis aqua vacuis et ad ripas fluviales in limosis simul cum *Scirpo ovato*, *Leersia oryzoide*, *Potentilla norvegica* aliisque raris plantis; ex. c. ad Trittau. — Flor. Dan. tab. 1742.

Tanta vi ad generandum fertur hujus plantæ natura, ut culmi floriferi, quando, postquam defloruerunt, aquis superantur, interdum ex singulis articulis extremis singulas procreent novas plantas.

25. *Eriophorum triquetrum* HOPP.

26. *Eriophorum latifolium* HOPP.

Digynia.

27. *Alopecurus fulvus* SMITH.

28. *Phalaris canariensis* L*

29. *Arundo pseudophragmites* HALL. FIL.

Ad Falkenhusen, quod oppidum situm est apud fluvium Wacknitz prope Lubecam.

Affinis *A. Calamagrosti L.*, omnibus tamen partibus major et validior.

A. canescens Weberi, Prim. No. 106, non est nisi *A. Calamagrostis L.* pallidis floribus, quod in ipso loco, quem Weber indicavit "ad Suesel", sæpius mihi persuasi; erat præterea in herbario Weberi positum exemplum *A. Calamagrostis L.* cum synonymo: *A. canescens. A. Calamagrostis* autem Weberi ad eam, quæ se-

quitur, speciem pertinere, veri simillimum est: nam certum esse non dico, cum in herbario Weberi inveniatur, nomine *A. Calamagrostis*, ab Ehrharto circa Upsaliam lecta; ipse autem Ehrhartus postea *A. neglectam* vocaverit.

30. *Arundo stricta* TIMM.

Satis frequens in Duc. Lauenburg præsertim ad flumen Wacknitz, etiam in orientali et septentrionali Holsatiæ parte.

Flor. Dan. tab. 1803.

Agrostis coarctata Schumacher, Enumerat. Plant. No. 68. nec Ehrh. nec Hoffm.

31. *Arundo baltica* FLUEGG.

A. maritima Agardh, in Flora 1824, No. 36 pag. 561, fide Spec. Auctoris.

Frequens ad mare Balticum a Travemünde usque ad Alsen; etiam in multis locis perquam vulgaris.

Flor. Dan. tab. 1684.

Deprehenditur etiam ad mare Germanicum in Dunis (ɔ: syrtibus arenosis) ad Eyderstædt; quæ planta tamen nonnullis partibus a baltica illa abhorret.

32. *Arundo festucacea* WILLD.

Festuca elatior Svensk. bot. tab. 370.

Ad Eidoram fluvium apud canalem lapideum (Steinschleuse) prope Fridericopolin.

33. *Stipa pennata* L.

34. *Panicum verticillatum* L.

35. *Panicum glaucum* L.

36. *Aira glauca* SPRENG.

37. *Melica uniflora* RETZ.

38. *Poa maritima* HUDS.

39. *Poa sudetica* HÆNK.

Poa quadripedalis Ehrh. *P. remota* Forselles. Prope Ratzeburgum et in Præpositura.

40. *Poa serotina* EHRH.

41. *Festuca tenuifolia* SIBTH.

42. *Festuca glauca* LAMARCK.

43. *Festuca pratensis* CURT.

44. *Festuca silvatica* VILLARS.

45. *Festuca loliacea* HUDS.

46. *Festuca gracilis* MOENCH.

47. *Bromus racemosus* L.

48. *Bromus commutatus* SCHRAD.

49. *Bromus arvensis* L.

50. *Bromus erectus* HUDS.

In agris ad Mechow prope Ratzeburgum.

51. *Bromus sterilis* L.

52. *Avena strigosa* SCHREB.

53. *Avena flavescens* L.

54. *Triticum glaucum* DESFONT.

55. *Triticum rigidum* SCHRAD.

56. *Triticum pungens* DECAND.

57. *Triticum littoreum* SCHUMACH.

Flora Dan. tab. 1813.

58. *Triticum acutum* DECAND.

Huic generi opus est, qui diligentissime recolat ac recenseat; neque enim, licet videantur species, quas enumeravi, inter se diversissimæ esse, fidenter species existimari volo; quamquam non omnes ad *T. junceum* et *T. repens* referri possunt.

Et hæ species omnes et *T. junceum* partim ad Balticum partim ad Germanicum mare deprehenduntur. Post autem quam plus temporis huic plantæ colendæ dedero, quid de ea existimem, explicabo.

59. *Lolium arvense* WITH.

60. *Hordeum pratense* HUDS.

61. *Hordeum maritimum* WITH.

In molibus Germanico mari oppositis Holsatiæ et Slesvici, quæ quidem accessu et recessu maris alluuntur. In Ditmarsia, Pellworm, Dagebüll, Husum.

Flor. Dan. tab. 1632 et Engl. bot. tab. 1205.

62. *Rottboellia incurvata* L. FIL.

Flor. Dan. tab. 938.

In pingnibus argillaceis maris Germanici; sic frequens est in insula Amrum, nec non in Beenshallig.

Mea quidem planta fere 6 aut 8 pollices longa est, stricta et tenuis, multisque rebus a meridionali planta ejusdem nominis diversa; sed congruit cum ea, quæ a Cel. Prof. Schumacher in insula Amack et ad Hofmansgave a Cel. Hofman-Bang in ins. Fiona inventa est.

63. *Holosteum umbellatum* L.

Classis IV.

TETRANDRIA.

Monogynia.

64. *Galium erectum* HUDS.

65. *Galium spurium* L.

66. *Galium pusillum* L.

In arenosis litoribus insularum occidentalium, a Fanöe usque ad Sylt.

Flor. Dan. tab. 1866.

Planta maxime variabilis, quæ non multum abest ab *Asperulæ* habitu.

Modo glabra reperitur, modo vehementer pubescens, foliorum marginibus modo subrevolutis et integerrimis, modo subtiliter serrulatis; caulis tamen nunquam asper tactu. Etiam formà mirum in modum variant folia, ab augusta inde forma usque ad latam spathulatam. Ceterum omnes fere indigenæ species, ut *G. verum*, *sylvaticum, Mollugo, boreale, palustre, uliginosum, saxatile*, et glabræ et pubescentes reperiuntur. Ex fructibus divisionem hujus generis instituere, multum habet incerti, quum ipsum *G. boreale* plane lævibus fructibus inveniatur.

Naturæ conveniens videtur Cel. Friesii divisio in

1) Pratensia, radice repente, perenni, et

2) Arvensia, radice fibrosa, annua.

67. *Galium Mollugo* L.

68. *Gatium boreale* L.

69. *Exacum filiforme* SMITH.

70. *Plantago arenaria* WALDST & KIT.

In aridis arenosis a campo: *die Aue* dicto prope Lauenburgum usque ad Blankenese et Wedel aliis locis frequens, aliis parce obvia.

Flor. Dan. tab. 1808.

71. *Epidemium alpinum* L*

Magna frequentia et quasi spontanea im Neuenwerk ad Gottdorf.

72. *Cornus suecica* L.

In Holsatia et Slesvico, ex. c. in Ditmarsia septentrionali inter Rendsburgum et officinam vitrariam, ad Husum, Hoist, Appenrade.

73. *Cornus mascula* L*

74. *Trapa natans* L.

Pridem a Taube in fluvio Stecknitz ad Lauenburgum reperta; vid. J. Taube Beiträge zur Naturkunde des Herzogthums Lüneburg, Celle 1769, 2 Stück, pag. 149.

Hactenus frustra eam quæsivi.

Digynia.

75. *Cuscuta epilinum* WEIHE.

Huc pertinet synonymum *C. europæa β tenuior* Wahlenberg Flor. Upsal. p. 55.

Perinsignis hæc species apud nos ubique adest inter linum; et est pæne frequentior, quam *C. europæa*, quæ apud sepes et *Urticas Cnicique* species crescit; nec minus differt a *C. epithyma* Murr. et Weber. Calyx, corolla, forma squamarum nectariferarum (quas habent tres hæ species omnes, quæque imprimis optimas notas præbent), stigmata, fructus has certissime distinguunt. Quæ accuratius in ipsa Flora mea persequar.

Tetragynia.

76. *Potamogeton fluitans* ROTH.

In fluminibus Trave (ad Oldesloh), Bille et Eidora.

Hanc speciem, quæ sæpius cum *P. natanti L.* conjuncta fuit, postquam per totum annum observavi, a *P. natanti* prorsus diversam esse, per-

suasum mihi habeo. Observavi etiam *P. natantem* in eodem flumine, quo *P. fluitans*, una crescentem; neque ullus unquam ex altera in alteram speciem transitus a me deprehensus est.

Ne dicam de foliis demersis, membranaceis, lanceolatis, longe-petiolatis, hæc planta præsertim distinguitur pedunculis incrassatis, cavis, qui magnitudinem *P. lucentis* æquant; præterea petioli semper sunt superiore superficie convexa, neque, ut *P. natans*, plana; ab utroque latere autem angulati sunt. Stipulæ deinde sunt acute dupliciter carinatæ, ita ut in hunc sulcum medius folii nervus, vehementer ille eminens, apte cadat; id quod non fit in *P. natanti*, sed in *P. lucenti*, quocum nostra planta in universum majorem communitatem habere videtur. Postremo, semina, quæ tamen non satis matura reperi, acutius carinata sunt, quam in *P. natanti*.

Hactenus nullam novi hujus plantæ Iconem.

77. ***Potamogeton spathulatus*** ZIZ & KOCH.

In fluvio Bille ad Sachsenwald.

Mertens et Koch Flor. Germ. I. p. 840.

Propria species esse videtur, quæ medium locum teneat inter *P. natantem* et *rufescentem* Schrad. Hactenus tamen sine semine reperi.

78. ***Potamogeton rufescens*** SCHRAD.

Per tres Ducatus omnes non rarus.

Insignis species propter stipulas latas ac magnas, quæ vero mature marcescunt; magisque etiam propter semina dura, lentiformia, compressa, acute marginata.

Synonyma huc pertinentia sunt: *P. fluitans*

Schumacher. Enum. No. 159 et Flor. Dan. 1450. *P. serratum* Roth. et Schumach. *P. lucens var.* fol. angustioribus, Flor. Dan. tab. 1635.

79. ***Potamogeton coloratus*** HORNEM.

Flor. Dan. tab. 1449.

Jam multis ante annis a Vahlio in Holsatia et Fiona inventus; sed anno 1813 primum ab Hornemanno V. C. nomen ei inditum est.

In omnibus Ducatibus, sed raro, reperi. Eadem est planta, quæ nunc inducitur nomine *P. plantaginifolii* Ducroz. in Rœmer. et Schultes. Syst. 3. p. 504. Mert. & Koch. Flor. Germ. I. p. 842. Ruber ille color fortuitus est pendetque e majore minoreve copia humoris, in quo planta crescit.

Delineatio ejus in Flor. Dan. injuria tum ad *P. fluitantem*, tum ad *P. rufescentem* vel etiam ad *heterophyllum* relata est. Ad quas species non pertinere eam, vel semina satis probant.

80. ***Potamogeton heterophyllus*** SCHREB.

In omnibus Ducatibus non rarus.

Pertinet huc non modo Flor. Dan. tab. 1263, verum etiam Oederi *P. gramineum* in Flor. Dan. tab. 222, quod ita depictum est, ut natantia folia nulla ediderit.

Affinis est hæc species *P. nitenti* Weberi, Supplement. Flor. Hols. No. 11. Flor. Dan. tab. 1807, quo hæc synonyma pertinere certum est: *P. gramineum* Wahlenb. *P. curvifolius* Hartmann. *P. heterophyllus var.* Chamissot. Differt tamen non solum foliis et stipulis, sed etiam semine a *P. heterophyllo.* Sic demersa ejus folia lata sunt atque amplexicaulia; emersa autem

folia versus basin attenuantur, id quod in *P. heterophyllo* contrario modo se habet.

81. *Potamogeton prælongus* WULFEN.

Flor. Dan. tab. 1687.

Per omnes Ducatus in lacubus et fluviis.

Synonyma sunt: *P. lucens* Weber. Primit. No. 150. *P. lucens var.* angustifolia. Herb. Vahl. (non Fl. Dan.) *P. flexuosum* Wredow. *P. flexicaulis* Detharding. *P. acuminatum* Wahlenberg Flor. Upsaliens. *P. serratum* Scopoli secundum Wulfen.

Weberi autem *P. serratum* est ipse *P. lucens* Linn., neque aliud est *P. acuminatum* Schumach. (Enum. p. 49 et Flor. Dan. tab. 1384) quam forma quædam hujus, longius porrecta.

82. *Potamogeton zosteræfolius* SCHUMACHER.

Fl. Dan. 1865. Species distinctissima, in quo diu et sæpe erratum est, hodieque adeo erratur.

In omnibus Ducatibus.

Synonyma sunt: *P. complanatus* Willdenow, Fries, Wahlenberg. *P. laticaule* Wahlenb. *P. compressum* plurium auctorum.

83. *Potamogeton acutifolius* LINK.

Flor. Dan. tab. 1747. Hæc species, licet proxime antecedenti similis sit, tamen, ut sit eadem, non sequitur.

In Holsatia et Duc. Lauenburg, superioribus rarior.

Synonyma sunt: *P. cuspidatus* Schrad. *P. gramineum* Wredow et Vahl. Herb.

Spicam hæc species habet brevissimo pedunculo et paucifloram; folia sunt cuspidata, caulis in articulis fragilissimus, semina lunata, vehe-

menter compressa, acute carinata, lignosa. *P. zosteræfolius* autem has præ se fert notas: Tota planta fit triplo major robustiorque, folia, præsertim inferiora, obtusa sunt, acumine parvo imposito; planta flexilis admodum neque fragilis. Semina sunt oblique oblongo-lentiformia, obtuse carinata, minus lignosa. Spica longiori, quam in *acutifolio,* pedunculo et magis multiflora.

84. *Potamogeton filiformis* PERSOON.

P. setaceum Schumacher Enum. No. 170 nec Linnei nec Weberi nec Thuillierii. Utrum huc pertineat Wahlenbergi *P. pectinatum,* dijudicare non audeo. Deprehenditur hæc planta in omnibus Ducatibus, sed semper in dulci aqua vel lacubus, nunquam in salsa aqua.

Nondum, quod sciam, delineata est. Eadem a *P. marino* maxime differt. Id autem nunc intactum relinquo, num etiam *P. pectinatus* tanquam species a *P. marino* sit distinguendus.

P. filiformis Pers. verticillos habet remotos bifloros et semina subrotunda exigua, quum semina *P. marini* sint vel ter tanta magisque compressa.

Semina Potamogetonis nucularia, quum probe maturuerunt, in nulla hujus generis specie non exhibent utilissimas differentias specificas, vel forma vel substantia vel situ embryonis. Ita *P. prælongo* fructus sunt omnium maximi acutissimeque carinati; *P. rufescenti* et *acutifolio* durissimi et prope ossei; in fructu *P. densi* em-

bryo uno cum dimidio orbe cochleam referente circumagitur, quum pleræque species non parvo spatio inter se distantia habeant femora embryonis; idemque *P. densus* putamine est tenuissimo.

Stipulæ quoque earumque cum foliis comparatio optima signa præbent, quibus species discernantur.

Omnes species alterna habent folia caulina (solo *P. denso* excepto, qui omnia folia opposita, rarissime vero quaterna, habet), superiora autem sive pedunculo proxima in omnibus sunt opposita; id quod vel Rajus, Method. plant. p. 22, observavit.

Omnes, quæ apud nos inveniuntur, species, exclusis iis, quæ habent linearia folia, quales sunt *P. zosteræfolius*, *acutifolius*, *gramineus*, *compressus*, *pusillus*, *marinus*, *filiformis*, postquam formam et naturam suam plane explicuerunt, folia habent duplicis generis, una submersa, membranacea illa et pellucida, altera superne natantia, quæ aut sunt coriacea, aut certe non pellucent. Huc pertinent *P. natans*, *fluitans*, *spathulatus*, *rufescens*, *coloratus*, *heterophyllus*, *nitens*, *lucens* *), *prælongus*, *perfoliatus*, *crispus*, *densus*. In tribus ultimis nondum coriacea reperi folia, sed multo tamen densiora minusque pellucida quam inferiora illa submersa; ut mihi quidem verisimile videatur, rebus magis faventibus hæc quoque coriacea futura.

---

*) Hanc quoque speciem florescentem cum coriaceis foliis natantibus æstate a. 1821 reperi, nomineque *Potamogetonis lucentis coriacei* notatam mense Martio a. 1822. cum Cel. Professore Mertens communicavi. Post inserta est Mertens et Koch. Flor. Germ. I. p. 850.

Est id præterea *P. crispo* proprium, quod in extremis caulibus interdum non flores nascuntur, sed folia, quæ justam longitudinem et latitudinem non attingunt, sed aliquanto crassiora fiunt ceteris, quasique in capitulum coacta naturam prope cartilaginosam induunt. Id, quod non multum absum, quin secundam propagationem esse judicem.

Quæ de hoc genere observavimus, omnia, excepta duplici foliorum natura, in affinia illa genera, *Ruppiæ* et *Zannichelliæ*, conferre licet, quæ et ipsa continuo observo, probaturus, duas notas species jam apud nos plures veras species in se continere.

85. *Sagina erecta* L.

Ex manuscripto Flüggeano ad Borstel prope Hamburgum invenitur.

86. *Sagina apetala* L.

Engl. bot. tab. 881.

S. ciliata Fries. Svensk. bot. tab. 562. f. 1.

Ad Hamburgum et Heiligenhaven in humo pingui.

87. *Sagina maritima* DON.

S. stricta Fries Svensk. bot. tab. 562. f. 2. et *S. erecta* Müller Fl. Dan. tab. 845. Melius in Engl. bot. tab. 2195 (*maritima*).

In humo pingui ad mare, idque tam Balticum quam Germanicum; frequentissima per Holsatiam et Slesvicum usque in Magnum Ducatum Megalopolitanum; sed a toto Duc. Lauenburg abest, quod ad Mertens. et Koch. Flor. Germ. I. pag. 865 observandum.

Classis V.

PENTANDRIA.

Monogynia.

88. *Myosotis cespitosa* SCHULTZ.
89. *Myosotis sylvatica* EHRH.
90. *Myosotis intermedia* LINK.
91. *Myosotis collina* EHRH.
92. *Myosotis versicolor* SMITH.
93. *Cynoglossum Omphalodes* L*.
94. *Symphytum tuberosum* L.

    Engl. bot. tab. 1502.

    Ad Flottbeck prope Hamburgum. *Bueck* et nuper *Lehmann*. V. D.
95. *Borrago officinalis* L*.
96. *Primula vulgaris* HUDS.
97. *Anagallis coerulea* SCHREB.
98. *Polemonium coeruleum* L*.
99. *Verbascum cuspidatum* SCHRAD.
100. *Verbascum collinum* SCHRAD.
101. *Physalis Alkekengi* L*.
102. *Solanum villosum* WILLD.
103. *Atropa Belladonna* L.

    In saltibus Ritzerauensibus ad Nusse, amiciss. Dr. *Gütschow*. Equidem in Ducatibus nunquam spontaneam vidi; quam reperit Cel. Professor Hornemann ad Colding et in insula Laaland.
104. *Erythræa littoralis* FRIES.
105. *Erythræa ramosissima* PERS.

106. *Ribes alpinum* L.

107. *Ribes Uva crispa* L.

108. *Viola hirta* L.

109. *Viola ericetorum* SCHRAD.

110. *Viola lactea* SMITH.

In der Besenhorst ad Escheburg in Duc. Lauenburg. Flor. Dan. tab. 1812. *V. stricta* Hornemann.

111. *Viola arvensis* MURR.

Digynia.

112. *Chenopodium botryodes* SMITH.

Engl. bot. tab. 2247.

Rarum ad litus marinum in humo pingui in Præpositura ad Færenwisch, ad Travemünde, in Ærröe et Fœhr.

Quum eo, quod diffuse crescit, tum foliis multo minoribus, pæne triangularibus, crassis, carnosis, tum præsertim seminibus bis tantis certissime distinguitur a *C. rubro* L.

113. *Chenopodium vulvaria* L.

114. *Kochia hirsuta* N.

Augusto mense anni 1823 primum hanc plantam inveni ad Grossenbrode prope Heiligenhaven ad litus marinum in locis, quæ interdum mari inundabantur; mox etiam ad Lütjenburg et Hochwacht, tum post unum mensem ad mare Germanicum in Ditmarsia apud Büsum et Deichsand; deinde a. 1825 satis frequenter et in Slesvico et in insulis adjacentibus, quæ occasum spectant, atque pascuis circumfluis, aggere non munitis, quæ dicuntur *Hallige*. Sic in Röm

atque Amrom et Beenshallig inveni. Porro in his Baltici maris insulis: Aaröe, Ærröe, Fehmern. Quapropter nunc hanc plantam vere frequentem existimo; neque dubito, quin, si quæratur, etiam quum in M. Duc. Megalopolitano et Pomerania, tum in oris maritimis Hannoveranis et Oldenburgensibus reperiatur.

Diu parum constitit mihi, num hæc planta vere esset *Salsola hirsuta* Linnei, quum Clariss. Schraderus in dissert. de Halophytis Pallasii p. 16. Linneanam plantam ad *Chenopodium* pertinere, diserte judicet; quo jam antea ab ipso Linneo relata erat. Itaque incidi in eam opinionem, ut putarem, meridionalem plantam, quam Linneus Monte Pessulano per Sauvagium sibi missam in prima edit. Spec. plant. *Chenopodii* nomine, uno illo loco, ubi cresceret, allato, proposuerat, diversam esse a septentrionali nostra planta, cujus locus demum post Holmianam dissertationem (inscriptam *Flora Danica*, in Amœn. acad. 5. p. 40) in secundam Spec. plant. editionem receptus est. Verum omnia, quæ comparare mihi licuit, specimina ex mari Mediterraneo ipsoque Monte Pessulano atque adeo ex Tauria, ubi invenit Marschall a Bieberstein, missa, teneriora fuerunt, quam ut fructus accuratius perspici posset. Tamen, quod suspicabar, meridionalem speciem differre a septentrionali specie ejusdem nominis, id magnopere confirmabatur eo, quod meridiana illa planta multo crassior erat atque erectior et hirsutior. *A. Vahliano* autem herbario, nec non a *Schumacheriano* (cui inest specimen ab ipso *Vahlio* ad Holbek Sjællandiæ urbem lectum) edoctus sum, plantam

eam, quæ in Dania crescit, a mea non differre. Jam vero comperi, semina matura, quæ nunc sæpius excepi, non congruere cum *Chenopodii* seminibus, sed plantam omnino, et propter teneriorem seminum membranam externam, et imprimis propter embryonem conduplicatum, et propter irregularem calycem, ponendam esse in genere *Kochiæ* Roth. Magnopere delectatus sum accurata hujus plantæ descriptione, anno proximo edita in Cel. Wahlenberg. Flor. Suec. pag. 161, quæ certe nihil desiderio relinquit; ex qua cognovi, auctorem idem de seminibus comperisse, eaque esse sententia, ut existimet, proprium inde genus effici.

Hæc, quum sit externa specie *Chenopodio maritimo*, quocum semper invenitur una, simillima, tamen facile ab eo distinguitur et hirsutia, quæ præsertim axillas foliorum obsidet, plus minusve densa, et calycibus fructiferis, irregularibus illis atque angulatis, et, quod maximum est, ramis plantæ fructiferæ in spiram actis.

Ceterum hirsutia senescenti plantæ sæpe omnis deest.

Certa hæc synonyma afferre licet:

Kali minus villosum (541) Kylling. Viridar. Danic. p. 77.

Chenopodium hirsutum. Holm. Flor. Dan. in Linn. Amoen. acad. 5. p. 40. Wahlenberg. Flor. Suec. I. p. 160.

Salsola hirsuta Linn. Sp. pl. ed. II. Tom. I. p. 323. Oeder. Fl. Dan. fasc. 4. pag. 4. tab. 184. Müller Flor. Fridrichsd. p. 48. Rafn Danmarks og Holsteens Flor. 2. pag. 251. Schumach. Enum. plant. I. pag. 83. Hornemann. Oeconomisk Plantelære ed. III. 1. pag. 294.

Suæda albida Pallasii Illustrat. plant. Fasc. 3. p. 53. tab. 45, quæ tamen sine semine a Pallasio reperta est, eadem planta esse videtur, quamquam imago et descriptio ejus nonnullis nominibus ab hac nostra aliena est. Cfr. Schrader de Halophytis Pallasii pag. 16.

115. *Beta maritima* L.

Flor. Dan. tab. 1571.

A Cel. Prof. Hornemanno ad Heiligenhaven reperta, etiam in Ærröe ad Erikshale et Oureboved non infrequens.

116. *Atriplex portulacoides* L.

Flor. Dan. tab. 1889.

Ad mare Germanicum in omnibus litoribus, quæ extra aggeres relicta sunt (Aussendeiche) a Brunsbüttel usque ad Husum frequentissimum, item in insulis occidentalibus et, quæ dicuntur *Hallige;* ut Beenshallig, Amrom cet.

Genus *Halimi*, quo etiam hæc species dicitur pertinere, supervacaneum mihi videtur; *Diotis* Schreb. saltem ab eo distingui non potest.

117. *Atriplex hortense* L*.

118. *Atriplex nitens* SCHKUHR*.

119. *Atriplex prostratum* DECAND.

120. *Atriplex angustifolium* SMITH.

121. *Atriplex erectum* HUDS.

122. *Atriplex roseum* L.

123. *Gentiana Amarella* L.

124. *Swertia perennis* L.

Engl. bot. tab. 1441.

In Duc. Lauenburg in pratis Besenthalensibus ad flumen Stecknitz, ad Siebeneichen prope

canalem Seeburgensem simul cum *Polygono Bistorta*, *Sanguisorba officinali*, *Betonica officinali*, *Diantho superbo* a me Augusto mense a. 1824 reperta.

125. *Ulmus suberosa* MOENCH.

126. *Ulmus effusa* WILLD.

127. *Eryngium campestre* L.

Flor. Dan. tab. 554.

Frequens ad Albim, ubi jam ab Oedero inventum est; etiam apud urbem Lauenburgum, ubi imprimis frequens est, indeque ad ostium fluminis Stör post Tychopolin.

128. *Hydrocotyle vulgaris* L.

129. *Bupleurum tenuissimum* L.

Flor. Dan. tab. 1090.

Ad Heiligenhaven, in Fehmern et Nordstrand.

130. *Astrantia major* L*.

131. *Caucalis nodosa* HUDS.

Engl. bot. tab. 199.

Primum a V. Ven. Bargumo in molibus mari objectis Ditmarsiæ inventa, post in Eyderstädt, Husum cet.

132. *Selinum sylvestre* L.

Flor. Dan. tab. 412.

Frequens in Ducatibus esse dicitur ab Oedero. Nuper Smith Engl. Flor. 2. p. 98. contra Sprengel contendit, *S. sylvestre* Linn. plane per se efficere speciem. Itaque commendandum puto studium, quo hìc in nostris terris diligentius investigetur. Sed suspiceris pæne, ex notis Linneani *S. sylvestris* a Smithio allatis, intelligendam esse eam speciem, quæ sequitur.

133. *Selinum lineare* SCHUMACH.

Flor. Dan. tab. 1330. Schum. Enum. plant. I. p. 95. Hanc speciem primum deprehendi in pratis ad fluvium Bill anno 1810 in viciniis pagorum Ham et Horn non procul ab Hamburgo; postea in Duc. Lauenburg pluribus locis maximaque copia, ut in Besenhorst ad Escheburg.

Et originaria specimina, a me inspecta, et ea, quæ ipse in variis regionibus cognovi, certum faciunt, hæc esse hujus plantæ synonyma:

Seseli saxifragum Scholler. Flor. barb. 307.
Seseli annuum Ehrhart. herbar.
Seseli tortuosum Willdenow. Prodr. No. 342.
Seseli dubium Schkuhr I. p. 217.
Seseli venosum Hoffmann. Flor. Germ. 1. pag. 144.
Seseli selinoides Besser. Hort. Crem.
Selinum pratense Sprengel Fl. Halens. No. 328.
Selinum Chabræi Rebentisch & Kunth Flor. Berol.
Sium saxifragum Roth. Fl. Germ. I. p. 123.
Libanotis annua Weberi Primit. No. 252.
Pimpinella tenuifolia Riv. Pentapet.

Cel. Prof. Sprengel ad plantam Schumacherianam etiam refert *Ferulam rablensem* Wulf. *Selinum elegans* et *Bellardi* Balb., quæ tamen ad eam non pertinent. Quo fit, ut Sprengelii *Selinum lineare* et *Seseli dubium* inter se differre videantur. Quin expellentur fortasse duodecim hæc nomina omnia, si verum sit, quod suspicor, hoc esse Linnei *Selinum sylvestre*.

134. *Athamanta Cervaria* L.

Hanc Flügge in Manuscriptis dicit circa Hamburgum crescere.

135. *Athamanta Libanotis* L.

Flor. Dan. tab. 754.

Frequens ad Oldenburgum, Heiligenhaven, in Fehmern et in Slesvico ad litus marinum sub ædem Suansiæ (Schwanskirche).

136. *Athamanta Oreoselinum* L.

Fl. Dan. tab. 1750.

Non rara in Duc. Lauenburg, ad Travemünde et Heiligenhaven.

137. *Ligusticum Levisticum* L*.

138. *Laserpitium prutenicum* L.

Flora Dan. tab. 1751.

In Duc. Lauenburg in paludosis ad fl. Stechnitz, Dänischeburg, Kückenitz, Waldhusen.

139. *Sium repens* L.

Flor. Dan. tab. 1514.

Ad fl. Wacknitz pluribus locis et apud Lubecam, ante portam Burgensem.

140. *Oenanthe pimpinelloides* L.

Hanc apud Hamburgum a se repertam dicunt Buek et Mössler; equidem vivam non deprehendi.

141. *Oenanthe peucedanifolia* POLL.

Apud Hamburgum reperiri, docet Mössler.

142. *Oenanthe megapolitana* WILLD.

O. pimpinelloides Fl. Dan. tab. 1454.

O. peucedanoides Wredow Mecklenb. Fl.

O. gymnorrhiza Brignoli.

Frequens ad litus marinum in Holsatia et Slesvico, etiam ad mare Germanicum circa Husum; fere semper una cum *Junco maritimo* Lam.

143. *Coriandrum sativum* L*.

144. *Scandix Cerefolium* L*.

145. *Chærophyllum bulbosum* L.

146. *Seseli annuum* L.

Jam a Clusio inter Hamburgum et Altonam repertum, quod postea, quum eum locum ipse vidisset, confirmavit Linnæus. Hort. Cliffort. p. 103.

147. *Anethum Fœniculum* L*.

148. *Anethum graveolens* L*.

149. *Apium graveolens* L.

Ad litus marinum in Holsatia et Slesvico passim frequens.

Pentagynia.

150. *Statice Limonium* L.

In oris Holsatiæ septentrionalibus ad Heiligenhaven, Lütjenburg cet. in Fehmern, et satis vulgaris ad mare Germanicum a Ditmarsia usque ad Fanöe.

151. *Armeria maritima* WILLD.

152. *Drosera intermedia* HAYN.

Postquam Cel. Hayne tres species vernaculas tam præclare explicuit, jam dubium non est, quin tres illæ omnes per se efficiant species, quidquid objecerunt celebres quidam scriptores.

Hayne in Schraderi bot. Journal 1800 part. I. pag. 36-42. Drewes et Hayne Abbild. u. Zergliederungen deutscher Gewächse Tom. I. tab. 2 & 3 pag. 7-18. Hayne Arzneygewächse Tom. 3. pag. 27-29 tab. 27-29.

Jam si herbario Linneano adglutinatum est specimen, appicto nomine *D. longifoliæ*, idque specimen omnino simile est *D. intermediæ* Haynii, in Suecia autem ubique occurrit planta ea, quam Hudson *D. anglicam* vocat, veri certe similius

est, hanc a Linneo nomine *D. longifoliæ* intellectam esse, quam illam *intermediam*. Sic, quoties Linneana collectio a synonymis plantis Floræ Suecicæ discrepat, ut fit e. c. in *Eriophoro polystachyo*, *Holco odorato*, *Junco articulato* cet., melius erit plerumque, infinita illa de nominibus Linneanis controversia abjecta, ea nomina imponere plantis, quæ et sufficiant ad distinguendum et errores excludant.

Ac Decandolle quidem ipso hoc instituto in hac planta usus eam speciem, quæ ab Anglis dicitur esse Linneana *D. longifolia*, veteri Hayniano nomine *D. intermediam* appellat; quæ autem duplo longioribus est foliis, totâque Svecià *longifoliæ* nomine fertur, ei Hudsonianum nomen *D. anglica* adjudicat.

Eadem hæc species, quam proximo loco dixi, etiam a Webero *D. longifoliæ* vocatur. Ceterum *D. intermedia* per Ducatus tres frequentior est, quam *anglica*; et quidem in ericetis paludosis.

Classis VI.

HEXANDRIA.

Monogynia.

153. *Galanthus nivalis* L*.

154. *Leucojum vernum* L*.

155. *Leucojum æstivum* L*.

Flor. Dan. tab. 1265.

Maxima ejus copia circum primam tabernam piscariam ad fluvium Wacknitz prope Lubecam.

156. *Narcissus Pseudonarcissus* L*.

157. *Allium Scorodoprasum* L.

158. *Allium carinatum* L.

Ad Albim circum Köllerbanner a beato *Flügge* reperta. Circum Appenrade cet. *Bargum.*

159. *Allium sphærocephalum* L.

In agro, *das Radeland* dicto, qui pertinet ad urbem Oldenburgum, monstratum mihi est a Schultzio, V. A.

160. *Allium vineale* L.

Flor. Dan. tab. 1870.

In Ducatibus tribus. Cel. Fries et Wahlenberg volunt hoc esse *A. arenarium* Floræ Suecicæ Linnei: ex Spec. plant. autem videtur planta, quæ est in Ruppii Flor. Jen. ed. Hall. t. 2. f. 2., quæ magis affinis est *Scorodopraso*, esse Linnei *A. arenarium*; cui sententiæ suffragatur Smith. Engl. Flor. 2. p. 134.

161. *Allium angulosum* L.

In Slesvico inter Schauendahl et Olderup, *Ecklon*; et ad urbem Lauenburgum.

162. *Allium senescens* L.

In edito colle inter Enge et Leck in Slesvico, *Bargum*; et circum Lubecam, *Wolf.*

163. *Allium Ursinum* L.

In sylvis circum Lubecam, *Wolf.* In Slesvico pluribus locis, ut ad Appenrade, Schwabstedt, Kalebye.

164. *Allium schœnoprasum* L.

Frequens in pratis ad Albim, ab urbe Lauenburgo ad Besenhorst.

165. *Lilium bulbiferum* L*.

166. *Lilium Martagon* L*.

167. *Fritillaria Meleagris* L.*

Maxima ejus copia adest in pratis juxta fluvium Trave, ad Matzfähre prope Lubecam, et variis et lacteis floribus.

168. *Tulipa sylvestris* L.*

Sponte crescit per Holsatiam et Ducatum Lauenburg in veteribus vallis et circa veteres arces.

169. *Scilla amœna* L.*

170. *Ornithogalum luteum* L.

Vulgaris per tres Ducatus omnes in nemorosis et pomariis.

Flor. Dan. tab. 378. Svensk bot. tab. 634.

Ornithogalum sylvaticum Persoon in Usteri Annal. part. 11. pag. 7. tab. 1. fig. I. Willdenow. Enum. Berol. pag. 368. *Ornithogalum Persoonii* Hopp. Sturm Deutsch. Flor. fasc. 27.

171. *Ornithogalum pratense* PERS.

In Holsatia et Duc. Lauenburg in agrorum marginibus, superiore specie multo rarior.

Persoon in Usteri Annal. part. 11. p. 8. tab. 2. fig. 1. *Ornithogalum luteum* Willdenow. Enumerat. p. 367. Sturm. Deutsch. Flor. fasc. 12.

Ornithogalum glaucum Detharding Verzeichn. p. 14.

Ornithogalum stenopetalum Fries. Flor. Halland. p. 58.

172. *Ornithogalum arvense* PERS.

In Holsatia et Lauenburg in pinguibus agris; rarum tamen.

Persoon in Usteri Annal. part. 11. pag. 8. tab. 1. fig. 2. Flor. Dan. tab. 1869.

Ornithogalum luteum, St. Hilaire plantes de la france Tom. 3. tab. 285. Pollich. histor. plant. No. 332.

Ornithogalum minimum Roth, Hoffmann, Schkuhr, Sturm. Deutsch. Flor. fasc. 12.

Ornithogalum villosum Willdenow Enum. p. 367. non Bieberstein.

(Etiam in insula Mona Aprili mense a. 1825 deprehendi hanc plantam, idque sæpissime.)

173. *Ornithogalum minimum* L.

In Holsatia et Lauenburg raro obvium. In sylva ad Lehnsahn.

Flor. Dan.. tab. 1331. Svensk. bot. Tom. 7. tab. 494 fig. 1.

Ornithogalum Sternbergii, Hoppe bot. Zeitung 1806. p. 341. tab. 1. Sturm. Deutsch. Flor. fasc. 23. *Ornithogalum spathaceum* Hoppe bot. Zeit. 1804. pag. 139. *Ornithogalum Henkelii*, Flora 1819 No. 3. *Ornithogalum gracile* Hagen Preussens Pflanzen No. 363.

174. *Ornithogalum spathaceum* HAYNE.

Hayne in Usteri Annal. part. 21. pag. 11. tab. 1. Svensk bot. Tom. 7. tab. 494 fig. 2.

Ornithogalum minimum Flor. Dan. tab. 612. Wahlenberg. Flor. Suec. I. p. 202 No. 358. β. *Ornithogalum Heynii* Roth. in Roemeri Archiv Tom. I. part. 3. pag. 42. Sturm. Deutsch. Fl. fasc. 27.

Quinque hæ species generis *Ornithogali*, *luteos* flores emittentes, quæ certe omnes propriæ species existimandæ sunt, inter se confundi et falso modo distingui paucis his annis demum sunt desitæ. Nam diu perseverabant distinguere

inter *O. luteum* et *pratense*, perinde ac si essent species, donec tandem contrarium sibi persuaserunt. *O. arvense* autem putabant esse Linnei *O. minimum*, quocum nil commune habere, quum esset demonstratum, exstiterunt, qui dicerent, esse *O. villosum* Bieberstein., a quo tamen non minus quam ab altera illa planta diversum est. Atque quo tempore Persoonianum *O. arvense* ad Linnei *O. minimum* referebatur, id, quod vere est Linneanum *O. minimum*, putabant esse *O. Sternbergi*; nunc autem, postquam verum *O. minimum* L. perspectum est, non nisi hujus varietatem esse volunt *O. spathaceum* Haynii, quæ species ab ea magis etiam differt, quam ceteræ inter se. Nec magis verisimile videtur id, quod nonnulli statuunt, ex *O. luteo* ceteras quattuor species transplantatione aut loci mutatione ortas esse: videlicet, ne plura afferam, ex *O. luteo*, in pratis crescente, fieri *O. pratense*; quum autem in pingui humo aut in pulvinis hortorum crescat, effici inde *O. arvense*. Quibuscum ea saltem, quæ ego observavi, minime consentiunt. At enimvero ex solo bulbo, ut de ceteris notis taceam, condi atque constitui possunt quinque illæ species omnes.

175. *Ornithogalum umbellatum* L.*.

176. *Anthericum ramosum* L.

In vicinia Hamburgi, *Flügge*.

177. *Anthericum Liliago* L.

In Duc. Lauenburg ad Rothenhaus prope Börnsen, et in Slesvico inter Schauendahl et Olderup. *Ecklon.*

178. *Asparagus officinalis* L.

Ad litora et in insulis Baltici maris, etiam ad Albim certe spontaneus.

179. *Hyacinthus botryodes* L*.

180. *Juncus maritimus* LAM.

A Travemünde usque ad Appenrade multis locis apud mare Balticum frequentissimus; item in Fehmern, Ærröe, Alsen. Ad Germanicum mare nondum a me inventus.

Fl. Dan. tab. 1689.

181. *Juncus balticus* WILLD.

Willdenow. in Berlin. Magaz. 1809. Tom. 3. p. 298.

J. helodes Link. Enumerat. hort. Berolin. I. p. 305.

J. glaucus β Wahlenberg flor. Suec. I. p. 209.

Circa Heiligenhaven invenit amicissimus Hornemann, et ad ostium Albis Cel. Link.

J. glaucus Ehrharti, qui apud nos non rarus est in orientali et meridionali parte Holsatiæ et Ducatus Lauenburg; etiam in oris maritimis sæpe invenitur, nec tamen unquam transitum ullum ad *J. balticum* deprehendi. Ego vero *J. artico* magis quam Ehrharti *J. glauco* affinem esse *J. balticum* existimo.

182. *Juncus glaucus* EHRH.

183. *Juncus obtusiflorus* EHRH.

J. nodosus Weber Prim. No. 292.

184. *Juncus alpinus* VILLARS.

In omnibus Ducatibus; sed rarius quam affines species.

Synonyma sunt: *J. fusco-ater* Schreber. *J. ustulatus* Hoppe (Abhandl. über Gräser pag. 30 c. tab.) *J. nodulosus* Wahlenb. Flor. Upsal. No. 223.

185. *Juncus repens* REQUIEN.

Ad flumina, quorum altitudo maris accessu et recessu mutatur, ut Stör, Eidoram, Krükau, Albim.

Decandolle flor. franc. Tom. V. p. 308 No. 1849.

Qui ultimus monographiam scripsit generis hujus, Cel. Meyer hanc plantam tanquam synonymam trahit ad *J. uliginosum* Roth. sive *J. supinum* Mœnch., qua in re ei non assentior.

Ea planta, quam puto esse Requieni, magis affinis est *J. acutifloro* Ehrh. aut *J. lampocarpo*; eadem est colore admodum pallide virescenti, laxa, semper crassior et longior quam varietates *J. supini* omnes, idque sibi proprium habet, quemadmodum docet Decandolle, ut in singulis, qui duo ramos interpositi sunt, angulis semper singula sint folia articulata.

186. *Juncus supinus* MOENCH.

Frequens apud nos in omnibus Ducatibus.

Flor. Dan. tab. 1099. Est hæc simplicissima forma et antiquissimum nomen hujus plantæ, quæ innumerabiles formas induit.

J. uliginosus Roth. Meyer synops. Junc. p. 29. pleraque ejus citat synonyma.

187. *Juncus capitatus* WEIGEL.

In locis arenosis auctumni tempore inundatis per tres Ducatus omnes.

Flor. Dan. tab. 1690.

Et hæc planta et quæ sequitur constanter triandræ sunt.

Verisimile est, huc pertinere *J. triglumem* Weberi, in Primit. No. 296.

188. *Juncus pygmæus* RICHARD.

In Dunis arenosis ad Lyst in insula Sylt atque in Eyderstædt, et quidem in iis locis, quæ hieme mari inundantur.

Flor. Dan. tab. 1871.

Thuillier. La Flore des environs de Paris. p. 178. Persoon. Synops. I. p. 384. Decandolle Synops. p. 152.

J. triandrus Gouan! Herborisat. pag. 25, non Villars, fide speciminum in herbario Flüggeano.

Jucundum mihi fuit, apud nos, qui propiores sumus septentrioni, deprehendere hanc plantam, quæ antehac tantummodo in Gallia sit reperta. Pyramidata capsulæ forma et segmentis calycis, quæ sunt pæne æquali longitudine, satis distinguitur a simili illo *J. capitato;* cum *J. bufonio* autem, etsi is est habitu quodammodo simili, confundi non potest.

189. *Juncus Tenageia* EHRH.

Flor. Dan. tab. 1160.

Per omnes Ducatus in ericetis paludosis, pluribus locis frequens, sed non vulgaris.

Weberi *J. Tenageja*, Supplement. No. 13, est *J. bulbosus* L. Verum *J. bulbosus* Weberi Primit. No. 294, est *Juncus bottnicus* Wahlenbergi, Flor. Lappon. tab. 5, qui apud nos frequens est ad litora et Baltici et Germanici maris.

190. *Luzula maxima* DECAND.

Junci pilosi var. δ Flor. Dan. tab. 441. In Holsatia et silvis Slesvici orientalis; ut ad Glücksburg, ab Appenrade ad Colding.

191. *Luzula erecta* DEV.

192. *Luzula Forsteri* DECAND.

Juncus Forsteri Smith. Engl. bot. tab. 1293. In Seebenter-Holz ad Oldenburgum rara.

Trigynia.

193. *Rumex Hydrolapathum* HUDS.
194. *Rumex Nemolapathum* EHRH.
195. *Rumex cristatus* WALLROTH.
196. *Rumex palustris* SMITH.
197. *Colchicum auctumnale* L.

In pratis Holsatiæ; frequentior etiam in Slesvico circa Eckernförde.

Polygynia.

198. *Alisma natans* L.

Flor. Dan. tab. 1573.

Rarum in Holsatia, frequentius in Duc. Lauenburg.

Et hæc species et omnes vernaculæ Alismaceæ veris tempore, antequam scapus florifer nascitur, tantum membranacea linearia folia agunt, post demum apparent coriacea folia, variis formis, petiolata.

Nonnunquam auctumno hæc species iterum floret; tum vero alia folia nulla habet nisi obtusa, elliptica, coriacea; agitque Stolones reptantes.

Classis VIII.

OCTANDRIA.

Monogynia.

199. *Oenothera muricata* MURR.

Flor. Dan. tab. 1752. Milleri Icon. plant. tab. 189. fig. 1.

Oenothera angustifolia Ehrhart. Beytr. 6. p. 169. cfr. etiam Besser. Enumerat. plant. Volhyn. p. 57. No. 450. *Oenotheræ biennis var?*

Planta delineata apud nos tantum ad Albim crescit idque in locis admodum arenosis, a Lauenburgo usque ad Blankenese, una cum *Verbasco cuspidato*, *Plantagine arenaria*, *Eryngio campestri*, *Salsolæ Kali var.* cet.

Iisdem in locis etiam *O. biennis* invenitur; quæ vero non solum quum est spontanea, sed etiam postquam multos annos culta est, ab illa differt, præsertim caule adscendente, apico comoso, cernuo, foliis subhomomallis, floribus minoribus, fructibus dissimilibus.

Eadem mihi videtur planta a Bessero allata.

Aufugam esse hanc plantam non puto; nec enim, postquam a Murray prolata est, siquidem eadem sit species, tam late per vallem Albensem esset propagata. Idem sic statuo, Oenotheras non ab America magis, licet ibi majore numero adsint, species, quam ab Europa et Asia ortum habere.

200. *Epilobium rivulare* WAHLENB.
201. *Epilobium obscurum* SCHREB.
202. *Epilobium virgatum* FRIES.
203. *Daphne Mezereum* L.

Trigynia.

204. *Polygonum lapathifolium* L.
205. *Polygonum minus* AIT.

206. *Polygonum Fagopyrum* L*.
207. *Polygonum tartaricum* L*.

Classis X.

DECANDRIA.

Monogynia.

208. *Monotropa Hypopithys* L.

Distinxit ab hac planta jam Roth, Flor. Germ. 2. p. 462, post autem Bernhardi, duas varietates, quas ego pluribus annis novi semperque eodem modo se habentes reperi.

Wallroth, V. D., in Schedulis Crit. p. 191–196 plantam hanc accuratius a se illustratam in duas species divisit, quarum alteram, quæ glabra habet genitalia, *M. hypophegeam* vocat, alteri hirsutæ Linneanum nomen relinquit. Quod diligentius considerare, cur plerique recentiorum scriptorum hanc divisionem abjiciant, alienum est ab hujus libelli consilio; nisi quod minime dubium videtur, quin Wallroth plantas inter se permutaverit. Ego saltem novem aut decem annorum experienta per regiones et meridionales et septentrionales edoctus contendere possum, eam plantam, quæ oblongos habeat fructus, stylum longum, filamenta et petala hirsuta, mihi quidem nunquam non sub arboribus frondosis oblatam esse; et esse tamen. Wallrothii *M. hypopityn;* alteram vero plantam rotundo fructu, brevi stylo, glabris filamentis et petalis, semper a me, licet sit Wallrothii *M. hypophegea*, sub arboribus, quæ folia haberent acerosa, repertam esse.

Prior earum delineata est in Flor. Dan. tab. 23 et Svensk. bot. tab. 97. Altera vero in Engl. bot. tab. 69. Sturm. Deutsch. Flor. fasc. 13. St. Hilaire plantes de la france. tab. 253. Gärtner Carpolog. t. 185.

M. hypopithys hirsuta s. Wallrothii *M. hypopithys* apud nos haud rara est, præsertim in majoribus sylvis circa Kilonium, in Sachsenwald, Sihlbeck, Altenhoff cet.

M. hypopithys glabra s. Wallrothii *M. hypophegea* invenitur in sylvis abiegnis ad Wesseloh prope Lubecam, et ad Möllen.

Hanc ipsam, de qua proxime dixi, plantam esse existimo, quam Linneus in Flor. Suec. No. 351 nec non Herb. Upsal. in Amoen. acad. 3. p. 343. affert. Itaque vix retineri poterit triviale nomen a Wallr. propositum.

Et antiquiora synonyma et delineationes, ex. c. apud Tournefort, Menzel, Morison, Plot, Kniphoff, et recentiora a Schkuhr et Lamarck prolata certe definire difficile est. Citat ad hanc plantam Hallerus delineationem in Rivin. tetrap. irreg., cumque sequuntur Reichard et Willdenow; sed in omnibus, quæ quidem inspexi, Riviniani operis exemplis non exstat.

209. *Ledum palustre* L.

In Duc. Lauenburg ad Schallsee copiose; deinde a Schallsee, ab altera parte usque ad Grünau, quæ adjacet fluvio Wacknitz, ab altera parte ad Linau prope paludem Kohbergensem. Ab utroque Ducatuum reliquorum abesse videtur. Planta hujus nominis in Floris Esmarchi et Ritteri allata non est Linneana.

210. *Pyrola chlorantha* SWARTZ.

Flor. Dan. tab. 1693. Svensk. bot. tab. 453.

In sylva abiegna Wesseloensi ad Lubecam, et in sylva abiegna ad Reinbeck non procul a Sachsenwald.

211. *Pyrola umbellata* L.

Flor. Dan. tab. 1336.

In abiegna sylva ad Wesseloh et in frondosa sylva ad lacum Lütowensem prope Möllen.

212. *Pyrola uniflora* L.

Ad Wesseloh et Möllen simul cum superioribus, rara tamen.

Digynia.

213. *Saxifraga tridactylites* L.

214. *Dianthus Carthusianorum* L.

Flor. Dan. tab. 1694.

In altiore Albis ripa ab urbe Duc. Lauenburg usque ad Gesthacht frequentissimus; ad Bergedorf et in Dunis insulæ Amrom.

215. *Dianthus superbus* L.

Frequentissimus im Oldenburgerbruch, ad fluvium Steclinitz pluribus locis, in der Besenhorst infra Escheburg.

216. *Dianthus deltoides* L.

Trigynia.

217. *Cucubalus baccifer* L*.

Engl. bot. tab. 1577.

Antea passim circa Hamburgum in sepibus. *Bueck.*

218. *Silene Otites* SMITH.

Cucubalus Otites L. Flor. Dan. tab. 518.

Frequens in insulis ab occidente Slesvici, Amrom, Sylt, Röm, Fanöe; rarissima in ripa fluminis Trave post Schlutup.

Imago Oederiana speciminibus ex aliis locis, ut Berolino, Megalopoli, Wetterau, ubi etiam reperi hanc plantam, omnino similis est: quidquid objicit Hoffmann. Deutsch. Flor. 1. p. 200.

219. *Silene anglica* L.

Flor. Dan. tab. 1643.

Inter segetes ad trajectum (beim Fährhause) freti, ex insula Fehmern dicti, prope Heiligenhaven, a Cel. Prof. Hornemann inventa.

220. *Silene Armeria* L*.

221. *Stellaria latifolia* PERS.

222. *Stellaria palustris* EHRH.

223. *Stellaria Friesiana* SERING.

Stellaria longifolia Fries. Nov. Flor. Suec. p. 49. Flor. Halland. p. 74. Svensk. bot. tab. 506.

In Duc. Lauenburg in paludosis ad Crummesse.

224. *Stellaria crassifolia* EHRH.

Per tres Ducatus omnes et in paludosis et ad litus marinum.

S. dichotoma Weberi, Primit. No. 361. non L.

Caremus adhuc proba ejus imagine; nam quæ ab Hoffmanno citatur: *St. uliginosa,* Curtis Flor. Lond. 6. n. 62. et a Wahlenberg: *St. humifusa* Flor. Dan. tab. 978, eæ, mea quidem sententia, non hanc speciem repræsentant.

225. *Arenaria media* L.

226. *Arenaria viscosa* PERS.

Pentagynia.

227. *Sedum purpureum* LINK.

228. *Sedum reflexum* L.

229. *Sedum sexangulare* L.

230. *Sedum album* L.

231. *Lychnis diurna* SIBTH.

232. *Oxalis stricta* L.

233. *Oxalis corniculata* L.

234. *Cerastium glutinosum* FRIES.

235. *Cerastium strigosum* FRIES.

236. *Cerastrium tetrandum* CURT.

Sagina cerastoides Engl. bot. tab. 166.

In Manöe et Lyt in Dunis.

237. *Spergula pentandra* L.

Ehrh. Herb. No. 76.

Per Duc. Lauenburg et Holsatiam primo vere in arenosis.

Licet *Sp. pentandra* Engl. bot. tab. 1536 cum Linnei *S. arvensi* recte conjungatur, quia, hæc planta quinquene an decem sit staminibus, parum interest, vera tamen *Spergula pentandra* L. etiamsi nonnunquam decem habet stamina, nihilo secius et capsulis, et seminibus marginatis, et foliis brevioribus, glabris, cæsio-virentibus, quæ semper sunt internodiis breviora, satis distincte ab illa discernitur. Etiam *S. maximam* propter semina duplo majora a *S. arvensi* diversam existimo.

238. *Spergula maxima* WEIHE.

239. *Spergula subulata* SWARTZ.

Spergula laricina Huds. Fl. Dan. tab. 858.

In Holsatia raro invenitur, sæpius in ericetis Slesvici occidentalis, sæpissime in insulis Sylt, Amrom, Föhr.

Classis XI.

DODECANDRIA.

Monogynia.

240. *Portulaca oleracea* L*.

Trigynia.

241. *Euphorbia Esula* L.

Ad Albim ab urbe Lauenburgo usque ad Hasseldorfer-Marsch frequens in arenosis.

Flor. Dan. tab. 1270.

242. *Euphorbia palustris* L.

Ad Albim et Bille in Duc. Lauenburg et Holsatia frequens.

243. *Euphorbia Lathyris* L*.

Classis XII.

ICOSANDRIA.

Monogynia.

244. *Philadelphus coronarius* L*.
245. *Prunus insititia* L.
246. *Prunus domestica* L*.

Pentagynia.

247. *Mespilus monogyna* WILLD.
248. *Pyrus communis* L.
249. *Pyrus Malus* L.
250. *Pyrus Aria* EHRH.

In Riesenbusch ad Schwartau, *Wolf.*

Polygynia.

251. *Rosa spinosissima* L.

Flor. Dan. tab. 398.

In Dunis insularum Slesvici occidentalium, ex. c. Röm, Sylt; in Lyst, ubi Oederus plantam delineandam curavit, imprimis frequens; etiam in Amrom.

Tota planta; sed maxime, flores suavem odorem exhalat. Flores initio subvirides sunt, deinde rubescunt, tum albi fiunt, postremo, antequam petala amittunt, in subviridem colorem revertuntur: quemadmodum in *Hydrangea hortensi* fieri solet.

Weberi *R. spinosissima* est *R. cinnamomea* L.

252. *Rosa arvensis* HUDS.

253. *Rosa alba* L.

254. *Rosa campestris* SWARTZ.

255. *Rosa tomentosa* SMITH.

256. *Rubus suberectus* ANDERS.

Anders. in Linn. Trans. Vol. 11. tab, 16 Engl. bot. tab. 2572.

257. *Rubus coryllifolius* SMITH.

Engl. bot. tab. 827.

258. *Rubus nemorosus* HAYNE.

Hayne Arzneygewächse Tom. 3. tab. 10.

259. *Rubus Sprengelii* WEIHE.

Flor. Dan. tab. 1697.

260. *Rubus hirtus* WALDSTEIN & KIT.

Plant. rar. Hung. 2. tab. 141.

261. *Rubus glandulosus* BELLARD.

Flor. Dan. tab. 1696. (Folium autem ad R. Sprengelii pertinet).

Et hæ species omnes apud nos per Ducatus tres inveniuntur, et aliæ plures, quæ accuratius sunt examinandæ.

262. *Fragaria elatior* EHRH.

263. *Fragaria collina* EHRH.

Flor. Dan. tab. 1389.

Per tres Ducatus omnes in apricis collibus, sed raro.

264. *Fragaria semperflorens* HAYNE.

265. *Potentilla recta* L*.

266. *Potentilla norvegica* L.

In Holsatia et Lauenburg in sylvis majoribus ad piscinas, quarum aqua interdum emittitur. Ex. c. in Hahnenheide ad Trittau, Dänenheide, Steinhorst, Moorsee.

267. *Potentilla opaca* L.

P. verna Fl. Dan. tab. 1648.

Ad Priwall in vicinia oppidi Travemünde, ad Zarentin prope Schallsee cet. *P. verna*, foliis quinatis, hirsutia appressa, apud nos rarior est.

268. *Potentilla verna* L.

269. *Potentilla reptans* L.

270. *Geum intermedium* EHRH.

Classis XIII.

POLYANDRIA.

Monogynia.

271. *Papaver somniferum* L*.

272. *Tilia europœa* L.

Trigynia.

273. ***Aconitum Napellus* L.**

A. neomontanum Flor. Dan. tab. 1698. *A. cœruleum* seu *Napellus* Kylling. Viridar. pag. 2 (No. 12).

In alnetis ad rivum Aue apud Grünwolde prope Hahnenheide. Suecicis speciminibus, a Cel. Fries circa Fahlun collectis, nostra planta similis esse videtur.

(Magna ejusdem plantæ copia etiam reperitur in loco, *Hestangsmölle* dicto, qui abest ab Hafnia tribus milliariis; quem locum jam Kyllingius notavit).

Pentagynia.

274. ***Nigella arvensis* L.**
275. ***Aquilegia vulgaris* L.**

Polygynia.

276. ***Pulsatilla vulgaris* DEC.**
277. ***Pulsatilla pratensis* DEC.**
278. ***Clematis Vitalba* L*.**
279. ***Thalictrum simplex* L.**

Flor. Dan. tab. 244. (*minus*).

In collibus aridioribus quidem, sed ubertate quadam plantarum non privatis, prope Heiligenhaven, simul cum *Campanula glomerata, Betonica officinali, Geranio sanguineo, Trifolio montano, Allio vineali* cet.

Synonyma sunt: *Th. dubium* Schumach. Enum. plant. No. 483, fide herb. Auctoris et *Th. flavum dubium* Hornemann. Plantelære ed. 3. Tom. I. p. 608.

Nostra planta Suecicis speciminibus plane similis est.

280. *Adonis æstivalis* L.

281. *Ranunculus Philonotis* EHRH.

282. *Ranunculus tripartitus* DEC.

Decand. Icon. Gall. rar. fasc. I. tab. 49.

In aquis semisalsis Holsatiæ et Slesvici, et ad Germanicum et ad Balticum mare.

Medium tenet inter *R. aquatilem* et *R. hederaceum.* A priori horum differt præsertim minoribus floribus, glabris fructibus; imprimis autem eo, quod folia natantia in tres lobos cuneiformes divisa sunt, neque unquam hirsutiæ in se habent vestigia. A *R. hederaceo* eo differt, quod minus radicat, quod folia duplicis generis, petala obtusiora habet; denique eo, quod ipse est polyander.

283. *Trollius europæus* L.

284. *Eranthis hyemalis* SALISB*.

285. *Helleborus fœtidus* L*.

286. *Helleborus viridis* L*.

Classis XIV.

DIDYNAMIA.

Gymnospermia.

287. *Ajuga genevensis* L.

Flor. Dan. tab. 1703.

Frequens in Duc. Lauenburg ab Ratzeburgo et Möllen versus Büchen, tota valle, quam perfluit Stechnitz, in arenosis.

288. *Ajuga Chamæpithys* SCHREB.

289. *Teucrium Scordium* L.

In viciniis pagorum Eppendorf et Kellinghusen, etiam in præfectura Haderslebensi ad Fobischlet, jam a Kyllingio inventum.

290. *Teucrium Scorodonia* L.

In Lauenburg et Holsatia maxime prope Albim; ex. c. ad Schnackenbeck et Grünhoff, ad Sachsenwald, ad Flottbeck, Blankenese cet. etiam in locis a fluvio remotioribus, ut ad Barmbeck et Kellinghusen.

291. *Mentha nemorosa* WILLD.

Flor. Dan. tab. 484 (*sylvestris*).

Ad Oldesloh et Escheburg.

Mihi quidem nondum satis constat, *M. nemorosam* Willd. esse eandem ac *M. sylvestrem* Linn. Nam non solum forma foliorum, petiolis, calycibus differunt, sed etiam cultura non mutatur *M. nemorosa*. *M. gratissima* Weberi (nam Rothii plantam hujus nominis non vidi), quæ modo ad litus marinum invenitur, notis satis definitis ab utraque superiorum distinguitur; quas notas trium harum plantarum alio tempore proponam.

292. *Mentha viridis* L.

Ad lacum (Damm) Haderslebensem certissime spontanea.

Mentham angustifoliam spicatam Kylling. Virid. p. 96 (No. 651) huc pertinere, non est dubium.

Flor. Dan. tab. 1876.

293. *Mentha rotundifolia* L.

294. *Mentha hirsuta* L.

295. *Mentha sativa* L.

296. *Mentha rubra* SMITH.

297. *Mentha acutifolia* SMITH.

298. *Mentha agrestis* SOLE.

299. *Mentha Pulegium* L.

Flor. Dan. tab. 1755.

In campo: *die Aue* dicto ad Lauenburgum copiosa; ad Tesperhude et ad Gesthacht in der Besenhorst.

300. *Lamium incisum* WILLD.

301. *Lamium intermedium* FRIES.

302. *Galeopsis villosa* HUDS.

303. *Galeopsis cannabina* POLL.

304. *Stachys ambigua* SMITH.

Flor. Dan. tab. 1877. Engl. bot. tab. 2089. *S. palustris.* fl. Batav. Tom. 2.

Hactenus tantum in Duc. Lauenburg ad Tesperhude hæc planta mihi oblata est.

Licet Smith etHooker et Fries et Sprengel consenserint, hanc plantam efficere speciem, tamen Schiede, de plant. hybrid. pag. 43, nondum constare judicavit, utrum hybrida an vera et propria species esset existimanda. Postquam Hafniæ, radicibus a me tribus ante annis e Lauenburg missis, per duos annos culta est, omnino talis manet, qualis erat, quo tempore sponte crescebat; sed bona semina nulla habet, quemadmodum ne tum quidem habebat. Mihi autem videtur hac planta, quæ omnibus partibus medium locum teneat inter *Stachyn palustrem* et *sylvaticam*, pulcherrimum contineri argumentum, quo probetur, hybridas a plantis sponte gigni posse; unde egregia ratio duci potest ad ipsum illud controversum *plantarum sexus* probandum.

305. *Ballota fœtida* LAMARK.

B. nigra Linn. Sp. pl. ed. I. p. 582. Engl. bot. tab. 46. *var.* flor. albis *B. alba* Linn. Sp. pl. ed. 2. Tom. 1. pag. 814.

Invenitur apud nos circa Hamburgum, ad Albim prope Neumühlen, in den Vierlanden, in Sundewitt, ubi etiam varietatem illam albis floribus vidi.

Species hæc odore est acriore quam Ballota communis, calycesque habet valde venosos, margine patentes, quorum dentes sunt apiculati.

B. nigra Weberi, apud nos multo communior, nunc *B. vulgaris* Link aut *B. ruderalis* Swartz. vocatur.

306. *Leonurus Marrubiastrum* L.

Jacq. Flor. Austr. tab. 405.

In Duc. Lauenburg ad pagum Wentorf prope Sachsenwald.

307. *Origanum vulgare* L.

308. *Thymus Acinos* L.

309. *Thymus angustifolius* PERS.

310. *Scutellaria hastifolia* L.

Flor. Dan. tab. 1822.

In Duc. Lauenburg: in valle Albina prope urbem Lauenburgum, ad Horst, Tesperhude, Besenhorst, Gesthacht, frequens.

311. *Scutellaria minor* L.

312. *Prunella grandiflora* L.

Legit eam V. Ven. Frölich circa Kilonium in excursione cum Illustrissimo Webero suscepta.

Angiospermia.

313. *Rhinanthus minor* EHRH.

314. *Melampyrum sylvaticum* L.

Flor. Dan. tab. 145.

In Holsatia et Slesvico ex. c. ad Trittau, Oldenburg, Glücksburg, et frequentissimum circa Appenrade et Hadersleben.

Præterquam quod minoribus, luteis, hiantibus floribus a *M. pratensi* discernitur, discernitur etiam defectu dentium, quos hæc habet in superioribus bracteis, lobis calycis distantibus, maxime vero capsulis crassis, ovato-acuminatis, quæ in *M. pratensi* majores sunt magisque compressæ et marginibus ancipitibus.

315. *Linaria spuria* PERS.

316. *Linaria arvensis* PERS.

317. *Digitalis purpurea* L*.

318. *Orobanche elatior* SUTTON.

Flor. Dan. tab. 1338.

Prope Heiligenhaven a dextra parte semitæ, qua itur Oldenburgum, in clivulis virgulto obsitis, quum anni sunt aridi, satis copiosa.

319. *Orobanche caryophyllacea* SMITH.

Ad Heiligenhaven una cum antecedente.

320. *Orobanche ramosa* L.

In Ducatibus a V. Ven Bargum reperta, fide herbarii V. Ven Frœlich.

321. *Linnœa borealis* GRONOV.

Flor. Dan. tab. 3.

In sylva abiegna Wessloënsi ad Lubecam una cum *Pyrola chlorantha, minore, secunda, umbellata, uniflora,* et *Monotropa hypopithye* aliisque plantis raris mense Junio a. 1820 a me, præsente amicissimo Dr. Grabau, reperta. Nunc

autem doleo ex eo loco pæne sublatam esse hanc plantam, hortulanis nonnullis avidis eam, unde quæstum sibi pararent, immodica cupiditate effodientibus. Quo factum, ut auctumno anni 1823 satis parce adesset.

Classis XV.

TETRADYNAMIA.

Siliculosa.

322. *Camelina dentata* PERS.
323. *Neslia paniculata* DEV.
324. *Alyssum calycinum* L.

Flor. Dan. tab. 1704.

In Holsatia ad Fœhrder - Mühle ab amicissimo Dr. Forchhammer inventum; vidi equidem in Duc. Lauenburg ad Möllen et ad Albim prope ab urbe Lauenburgo.

325. *Berteroa incana* DECAND.
326. *Thlaspi alliaceum* L.
327. *Lepidium ruderale* L.
328. *Lepidium sativum* L*.
329. *Bunias orientalis* L.

Flor. Dan. tab. 1651.

In M. Weinberg prope Oldenburgum et Putlose; frequentissima vero inter Krempelsdorf et Trems in vicinia Lubecæ.

330. *Senebiera Coronopus* DEC.
331. *Senebiera didyma* WILLD.

Circum Altonam ad Albim in rudere, rara.

332. *Cochlearia anglica* L.

Flor. Dan. tab. 329. Engl. bot. tab. 552.

In glareosis ad litus maris Baltici circa Heiligenhaven rara; copiosissima autem in litoribus extra moles relictis (Aussendeiche) et insulis Holsatiæ et Slesvici, quæ occasum spectant.

Hanc plantam diversam esse et a *C. officinali* et a *C. danica*, vix poterit dubium esse, siquis has species vivas inter se comparaverit. Non est quidem negandum, difficile esse in his plantis utiles constituere diagnoses, quibus recte discerni possint. Sunt enim omnes earum partes, et folia imprimis, maxime variabiles; quo factum est, ut species sine dubio plures, quam oportebat, propositæ sint: ex. e. *C. pyrenaica*, *oblongifolia*, *fenestrata*, ipsaque *grœnlandica*. Ego quidem, postquam vernaculas species, quæ sunt *C. officinalis*, *anglica*, *danica*, non modo vivas et in duobus de Ducatibus nostris et in Dania sæpe examinavi, sed etiam auxilio herbariorum Hafniensium ditissimorum sic persequutus sum, ut omnia, quæ quidem ea de re possent reperiri, comparaverim, eo perveni, ut persuasum mihi sit, tres eas, quæ a me dictæ sunt, veras esse species, neque præterea ullas. Nam et caulis divisionem et formam ac substantiam foliorum verisimile est ab humi natura pendere; quæ quo pinguior est, eo ramosiores et majores fiunt plantæ, eo magis sinuata folia, eo venosiores denique superficies eorum. Contra in locis valde aridis et lapidosis, ubi plantæ, quemadmodum fit in succulentis plantis, Atmosphæræ humore magis aluntur, breviores fiunt ac minores, folia autem integriora atque carnosiora; et solent tum plerumque eo majores emittere flores.

Idem tamen observavi, eandem speciem in simili humo crescentem et majoribus et minoribus floribus reperiri; et hoc certe commune habent tres vernaculæ species omnes, quod etiam in pluribus *Cruciatis*, ut in *Cakile*, *Crambe*, *Cardamine*, usu venire videtur; quare, quæ species comparatis inter se magnitudinibus petalorum et calycis distinguuntur, eæ maxime dubiæ sunt. Maturi vero fructus forma, et longitudo styli cum fructus longitudine comparata, nec non forma ac magnitudo seminis optimas mihi videntur diagnoses præbere.

Quod attinet ad *C. pyrenaicam* et *oblongifoliam* et *fenestratam*, plantas vidi, quæ optime convenirent cum descriptionibus atque iconibus; sed quoniam nulla comparare potui authentica specimina, hic tantum opinionem meam afferre licet. Itaque suspicor, *C. pyrenaicam* et *fenestratam* ad *C. officinalem; C. oblongifoliam* ad *C. anglicam* pertinere. Deinde, quam *C. grœnlandicam* esse docent, ea aperte mixta species est, quæ partim ad *C. officinalem* partim ad *C. danicam* pertineat. Linneus, qui primus *C. grœnlandicam*, in hort. Cliffort. p. 498, fide speciminum a Burmanno sibi missorum proposuit, has ei assignavit diagnoses: C. foliis reniformibus integris, unamque ejus patriam Grœnlandiam esse dixit. In Royen. Prodrom. Flor. Leydens., cujus verus auctor est Linneus, pag. 335 ad hanc suam Cochleariam citat *Cochleariam minimam* Boerhaave, Ind. alt. 2. p. 10. quam Boerhaavio ex Wallia miserat Sherardus; in qua terra igitur a Linneo sponte crescere dicitur. In utraque edit. Spec. plant. præterea tanquam synonyma affert

C. minimam erectam et *repentem*, insulæ Aalholmianæ (Willius in Bartholini Act. Med. et Philosoph. Hafniensis. Vol. 3. p. 143 et 144, ubi etiam duæ icones sunt), simul dilatans loca, ubi inveniatur, additis Norwegia et Islandia; Dania tamen omissa. Atqui in disputatione G. F. Holmii inscripta: Prodromus Floræ Danicæ, Linneo præside habita, tamen p. 20 *C. grœnlandica* tanquam dubia proposita est cum synonymo ex Kyllingii Viridario (No. 217), quæ planta apud Kyllingium p. 29. est *Cochlearia maritima minor repens* (in insulis Sjællandia et Fiona). Anno 1811 Smith in Linnean. Transact. Vol. X. pag. 344 palam fecit plantam a G. Don in Scotia inventam, quam veram esse putabat Linnæanam *C. grœnlandicam*, has diagnoses definiens: C. foliis reniformibus carnosis integerrimis, siliculis globosis; ad quam tantum Linn. Sp. pl. p. 904. et Bartholini Act. Hafn. 3. p. 143 et 144 citat; maxime vero Bartholiniana icone nititur. Post ab eodem hæc planta in Engl. bot. tab. 2403 et Engl. Flor. Vol. 3. pag. 175 recepta est. Hornemann autem (in Plantelære ed. 3. Tom. 1. pag. 705) et eodem tempore Hooker (in Flor. Scot. Tom. 1. pag. 195) quum omnino nihil certi reperissent, quo discernerent eam a *C. officinali*, parvam duntaxat varietatem *C. officinalis* esse judicaverunt.

Nihilominus tamen Decandolle in System. natur. Vol. 2. pag. 366. eam inde disjunxit specimine nixus, quod ab Hornemanno secum communicatum in herbario Vahlii, ab Roestel lectum, viderat; isque patriam nominavit insulam Aalholm, ubi Willius apud Bartholinum suam

plantam invenerat. Post, in Prodrom. System. natur. Tom. I. p. 173, addidit citatum a Loddiges bot. Cabinet. I. tab. 45. petitum. — Sprengel deinde in Syst. Veg. Tom. 2. pag 877 hanc speciem ad *C. officinalem* revocavit; a Willio autem in Laaland (pro in Aalholm) inventam dicit.

Diu de hac planta quum dubitassem, idque vel antequam a Smith defensam esse cognoveram, Aprili mense a. 1826 Hafnia parvulum iter suscepi in locum, quo se plantam illam invenisse scripserat Willius, qui locus ab eo dictus est Aalholm in ditione Abrahamstrupiana. Est ea insula, quam dimidiæ horæ tempore circumire licet, in sinu Sjællandiæ septentrionalis *Isseffjord* dicto posita, non procul a Jægerspriis.

Reperi hic in glareosis *Cochleariam officinalem* magnitudine admodum varia, et *C. danicam*. Raro autem *C. danica* ea erat forma, qua vulgo esse solet, quum habeat folia incisa, deltoidea; multoque frequentior erat forma quædam, quæ subrotunda parva petiolata habebat folia, quorum caulina omnia erant subacuta. Quid multa? erat ipsa ea planta, cujus duas formas delineatas habet Bartholinus; ita ut prorsus non dubitem, quin Willianam plantam repererim. Plantam meam ad *danicam* pertinere intellexi primum ex transitu ejus ad vulgarem formam, deinde præcipue ex silicula seminatura. Neque alia esse videtur forma illa *C. danicæ*, foliis integerrimis, quam Hooker, Flor. Scot. pag. 196 proponit, quæque a Decandolle, Syst. Nat. 2. p. 366. dicitur esse *varietas* β integrifolia, foliis caulinis paucissimis, radicalibus, reniformibus, omnibus integris.

Etiam circa Hafniam, ex. e. in insula Amager, ubi Bartholin & Simon Pauli *C. danicam* primi invenerunt, integrifolia hæc forma passim, sed raro tamen, inter vulgarem formam a Simone Pauli delineatam invenitur.

Jam specimen illud *C. groenlandicæ*, a Roestel lectum, in herbario Vahliano, certum est, huc non esse referendum, sed ad *C. officinalem*, unde petita est diagnosis illa, qua dicitur esse foliis caulinis subnullis, id quod de Williana planta dici nullo modo potest.

De planta in Engl. bot. tab. 2403 (*Cochlearia groenlandica*) delineata, quum liber non sit ad manum, nil temere contendam; tamen ex descriptione Smithii suspicor intelligendam esse *C. danicam β integrifoliam.*

Restat alia quædam forma *C. danicæ*, quam V. Ven. Lyngbye a. 1817. mensibus Julio et Augusto florescentem invenit in altissimis rupibus insularum Færoënsium, ubi præter eam nil nisi *Statice Armeria* et *Plantago maritima alpina* crescebat. Primo adspectu hæc nova species esse videtur; sed re diligentius explorata, apparet, plantam nullo alio modo differre, quam quod, floribus exceptis, qui majores sunt et numerosiores quam in vulgaribus formis, ceteras omnes partes habet minores, deinde quod folia habet profunde triloba aut incisa, quæ vix tres aut quattuor lineas longa sunt. Est hæc planta Willianæ ex diametro opposita.

Omnes, quas equidem vidi, Cochleariæ, ex Groenlandia et Islandia, ubi VV. DD. Wormskjold et Mörk et comes a Raben pulcherrimas diversissimisque formis collegerant, huc advectæ,

pertinent aut ad *C. danicam* aut ad *C. officinalem*, quæ ibi etiam admodum parva et valde carnosis foliis deprehenditur; quare non obsurdum videbitur, si quis statuat, Linneum in Hort. Cliffort. ipsam hanc parvulam formam vocasse *C. groenlandicam*.

Proposuit R. Brown in Ross. voyage *C. fenestratam* quandam, quæ etiam a Decondolle recepta est. At mihi quidem videtur septum illud siliculæ oblongum, fenestratum, non sufficere ad speciem faciendam; nam idem septum perspicue apparet in nostris vernaculis Specc. et imprimis quidem in *C. anglica*. Atque hoc septum, quod in immatura silicula longius est quam latius, maturescente silicula, magis in latitudinem distenditur, quo fit, ut vestigium rimæ appareat, quæ a summo sive a stylo deorsum usque ad dimidium septum pertinet, et, quum matura silicula semina dissperserit, oblongum in septo efficit foramen. Est hoc semper integris nec unquam laceris marginibus, unde patet a natura esse præformatum.

Discernuntur autem tres, quas dixi, species hisce notis:

C. officinalis siliculas habet prope globosas, stylum brevem.

C. anglica siliculas habet oblongas, ventricosas, triplo aut quadruplo majores, semina duplo majora, stylum duplo longiorem.

C. danica siliculas habet ellipticas, quæ longiores sunt quam in *C. officinali*, stylum etiam longiorem, folia semper petiolata, ne caulinis quidem, quæ in utraque ceterarum sessilia sunt, exceptis.

Ceterum in Flora mea accuratius exponam diagnoses harum plantarum.

333. *Cochlearia Armoracia* L.

334. *Lunaria annua* L*.

Siliquosa.

335. *Cardamine sylvatica* LINK.

C. sylvatica, Link in Hoffm. Phyt. Blät. p. 50.

Non infrequens per tres Ducatus omnes in sylvis, quæ ex frondosis arboribus constant; ex. c. in Sachsenwald, circum Appenrade; urbem Slesvicum, Hoist cet.

Synonyma sunt: *C. hirsuta* Weber. Primit. No. 509. Weber. spicileg. Flor. Gœtting. p. 18. Engl. bot. tab. 492. Curt. Flor. Lond. fasc. 4. tab. 48. (Licet harum iconum, quas citavi, utraque et a Decandolle et a Smith ad *C. hirsutam* citentur, tamen omnibus partibus respondent ei plantæ, quæ est in Vahlii herbario, nomen gerens *C. muscosa*, lecta in meridionali Europa, quam plantam esse *C. sylvaticam* Link, Decandolle diserte docet). *C. Impatiens* Flor. Dan. tab. 735.

Modo hirsuta admodum est, modo, quum in sat humidis et umbrosis locis crescit, glaberrima.

Delineatio illa, quam ex Flora Danica citavi, huc certe pertinet; nec, quemadmodum Link docet l. c. pag. 54, ad *C. hirsutam* referenda est. Et is quidem eodem loco ad *C. sylvaticam* vocat *C. hirsutam* Flor. Dan. tab. 148., sed hæc, quam proxime nominavi, certissime est *C. amara pubescens* sive *C. amara umbrosa* Decand. Syst. nat. 2. p. 255, cujus rei Hafniæ fidem mihi fecerunt plantæ spontaneæ. Etiam Schumacheri *C. hir-*

suta, Enumerat. Plant. No. 581 ad *amaram* est revocanda.

336. *Cardamine hirsuta* L.

Fide speciminis a Vahlio in Suecia lecti, quod postea vidit Decandolle, cujus descriptio, Syst. Nat. 2. pag. 260 ei plane respondet.

Superiore illa apud nos multo rarior. Est ex. c. ad Christiansfeldt, Appenrade; magisque in ruderatis et apertis crescit.

Flores minores sunt, pinnulæ foliorum radicalium subrotundæ, vix passim subdentatæ, quum in superiore specie sint oblongæ et sinuato-dentatæ. Segmenta foliorum caulinorum in hac specie pæne integerrima sunt et linearia; stylus quoque siliquæ brevior est quam in *C. sylvatica*. Ceterum, ut superior, ita hæc planta plus minusve hirsuta est; quin deprehenditur etiam pæne glabra.

Synonymum est; *C. intermedia* Hornemann. Plantelære ed. 3 Tom. 1. p. 714 Flor. Dan. tab. 1762.

337. *Cardamine parviflora* L.

In Holsatia, fide MSS. Vahlii. Equidem ad Appenrade inveni.

Gmelin. Flor. Sibir. Vol. 3. tab. 64. Svensk bot. tab. 568.

338. *Nasturtium palustre* DEC.

339. *Barbarea præcox*.

In omnibus Ducatibus, sed multo rarius quam *B. vulgaris*.

Flor. Dan. tab. 1759.

340. *Erysimum hieracifolium* L.

341. *Turritis glabra* L.

342. *Hesperis inodora* L*.
343. *Brassica campestris* L.
344. *Brassica Rapa* L*.
345. *Brassica Napus* L*.
346. *Sinapis nigra* L.

Classis XVI.

MONADELPHIA.

Pentandria.

347. *Erodium pimpinellifolium* WILLD.

Decandria.

348. *Geranium phæum* L*.
349. *Geranium pratense* L.
350. *Geranium rotundifolium* L.

Polygynia.

351. *Malva pusilla* WITH.

Flor. Dan. tab. 1825.

Ad Hamburgum fide collectionis Flüggeanæ. Vidi eam circa Flensburg.

Synonyma: *Malva borealis* Wallm. Hartmann Handb. i Skand. Flor. p. 266. *M. rotundifolia* Wallroth. *M. parviflora* Hudson. *M. Henningii* Goldbach.

Wahlenberg cum Decandolle et Smith hanc nostram censuerunt esse duntaxat *varietatem M. rotundifoliæ.*

352. *Malva crispa* L*.

353. *Malva moschata* L.

M. Alcea Flor. Dan. tab. 905.

In Ducatus Lauenburgensis præfectura Steinhorst, in pratis sylvestribus inter Möllenbruch et Schirnsœllen et Steinhorst. Ex MSS. Flüggeanis etiam ad Nienstædten et Eppendorf prope Hamburgum.

Classis XVII.

DIADELPHIA.

Hexandria.

354. *Fumaria claviculata* L.
355. *Fumaria capreolata* L.
356. *Corydalis fabacea* PERS.
357. *Corydalis digitata* PERS.

Octandria.

358. *Polygala comosa* SCHKUHR.

Decandria.

359. *Ononis procurrens* WALLROTH.
360. *Ononis arvensis* L.
361. *Pisum maritimum* L.

In Ærröe, Föhr, Sylt; præcipue in Dunis pagi Westerland copiosum.

Flor. Dan. tab. 338.

362. *Pisum arvense* L*.
363. *Lathyrus monanthos* L.
364. *Lathyrus tuberosus* L.

365. *Lathyrus heterophyllus* L.

366. *Lathyrus latifolius* L.

367. *Vicia pisiformis* L.

368. *Vicia Cassubica* L.

In Duc. Lauenburg ad Tesperhude, Grünhoff, Schnakenbeck, et circa Hamburgum.

Flor. Dan. tab. 1395.

369. *Vicia villosa* ROTH.

370. *Vicia tenuifolia* ROTH.

371. *Vicia angustifolia* ROTH.

372. *Hedysarum Onobrychis* L*.

373. *Melilotus dentata* PERS.

Non procul ab Heiligenhaven ad litus prope trajectum (das Fæhrhaus) freti, ex insula Fehmern dicti, in Ærröe, in Fehmern; et satis copiosa in Ditmarsia tam septentrionali quam meridionali in molibus mari oppositis.

Flor. Dan. tab. 1883.

374. *Melilotus vulgaris* WILLD.

375. *Trifolium medium* L.

376. *Trifolium campestre* SCHREB.

377. *Lotus major* SCOP.

378. *Lotus maritimus* L.

In Ærröe. *Hornemann.*

Flor. Dan. tab. 800.

379. *Trigonella ornithopodioides* DEC.

Synonyma: *Trifolium ornithopodioides* L. Flor. Dan. tab. 368. *Melilotus ornithopodioides* Pers. Hornemann. Plantelære ed. 3. Tom I. pag. 779.

Ab Oedero in terra Lyst insulæ Sylt inventa, ex quibus speciminibus delineatio ejus profecta

est. Cum a. 1825 in ea insula essem, nunquam hæc planta mihi est oblata, quod fortasse magnis æstatis caloribus factum. Etiam ad Balticum mare deprehendit eam Cel. Hornemann: sed quum id factum sit in insula Christiansöe prope insulam Bornholmiam, is locus extra meæ Floræ fines positus est.

380. *Medicago sativa* L*.

381. *Medicago minima* WILLD.

Flor. Dan. tab. 211.

Reperi equidem ad mare Balticum inter Niendorf et Scharbeutz; Dr. Grabau etiam ad Travemünde; perraro tamen.

Classis XVIII.

POLYADELPHIA.

Polyandria.

382. *Hypericum quadrangulum* L.

Svensk. bot. tab. 359.

H. dubium Leers. Engl. bot. tab. 296.

In sylvis ex frondosis arboribus constantibus per omnes Ducatus non rarum.

Docent Fries et Wahlenberg, hanc speciem esse Linnei *H. quadrangulum*, eam autem, quæ hic proxime sequetur, a Linneo ignoratam esse.

383. *Hypericum tetrapterum* FRIES.

Fries Nov. Flor. Suec. pag. 94.

H. quadrialatum Wahlenb. Flor. Suec. 2. p. 476. *H. quadrangulare* Flor. Dan. tab. 640. Engl. bot. tab. 370.

Apud nos itidem in omnibus Ducatibus, sed magis in paludosis et udis.

Est hoc *H. quadrangulare* plurimorum auctorum.

384. *Hypericum commutatum* N.

Species utrique superiorum affinis, quæ pæne hybridæ *H. perforati* et *quadranguli* similis est, sed tamen cultura non mutatur. Nunc autem hanc plantam pluribus illustrandam alii tempori relinquo.

In Duc. Lauenburg prope pagum Büchen ad fl. Stechnitz.

Classis XIX.

SYNGENESIA.

Æqualis.

385. *Tragopogon porrifolius* L.

386. *Scorzonera humilis* L.

387. *Scorzonera hispanica* L*.

388. *Sonchus asper* WILLD.

389. *Lactuca virosa* L.

390. *Lactuca Scariola* L.

391. *Condrilla juncea* L.

Flor. Dan. tab. 1652.

Prope fretum die *Weissenhäuser-Brœck* dictum, inter Oldenburgum et Heiligenhaven ad litus.

392. *Leontodon salinum* POLLICH.

393. *Apargia Taraxaci* WILLD.

Flor. Dan. tab. 1523.

A me non nisi in Dunis insularum occidentalium, ut Fanöe, Röm, Sylt, reperta.

A. auctumnali affinis est, a qua tamen distinguitur præsertim eo, quod calyces habet nigro-hirsutos, et quod plerumque est uniflora.

394. *Picris hieracioidis* L.

395. *Hieracium aurantiacum* L.

Flor. Dan. tab. 1112.

Ab amicissimis Dr. Forchhammer et W. Saxesen pluribus ante annis in Duc. Slesvico et quidem in terra Stapelholm in sylva inter Bergenhusen et Schwabstedt inventum. Ibi num indigena sit ea planta, nec ne, dijudicare non audeo.

396. *Hieracium cymosum* L.

Inter Lubecam et primam tabernam piscariam semel a me lectum.

Huic respondet Schumach. Enum. plant. No. 665, ut in ipso loco, a Schum. indicato, comperi. Diversa autem est planta in Flor. Dan. tab. 810.

397. *Crepis stricta* SCHULTZ.

398. *Crepis Dioscoridis* L.

399. *Hypochæris maculata* L.

400. *Arctium minus* SCHKUHR.

401. *Arctium Bardana* WILLD.

402. *Carduus tenuiflorus* CURT.

Curtis Fl. Lond. fasc. 6. tab. 55. Engl. bot. tab. 412.

In occidentali parte Holsatiæ et Slesvici a Ditmarsia usque ad Husum cet. in molibus mari oppositis primum a V. Ven. Bargumo inventus.

403. *Carduus Marianus* L*.

404. *Carduus heterophyllus* L.

Flor. Dan. tab. 109.

In pratis sylvestribus ab Hadersleben, Appenrade, Flensburg, usqve ad urbem Slesvicum; etiam in vicinia Lubecæ.

405. *Carduus rigens Lachenal.*

In pratis sylvestribus apud Appenrade, *Bargum;* etiam ad Oldesloh.

406. *Bidens tripartita* L.

Superflua.

407. *Tussilago alba* L.

Flor. Dan. tab. 524.

In Holsatia ad rivulum prope Warendorf non procul a Lehnsahn inter Oldenburgum et Eutin. Multo autem frequentior in sylvosa parte Slesvici orientalis a sinu Coldingensi usque ad Hadersleben, Appenrade, Flensburg, Angeln.

408. *Tussilago spuria* RETZ.

Flor. Dan. tab. 1828.

Ad Albim ab urbe Lauenburgo usque ad Hasseldorfer - Marsch et Tychopolin, ubicunque adest arena, satis copiosa; etiam ad fl. Bille apud Billwærder; hic desinit, neque in media terra reperitur.

409. *Senecio denticulatus* MÜLLER.

Flor. Dan. tab. 791.

In Dunis arenosis insularum Fanöe, Manöe, Sylt; etiam in Holsatia ad litus maris Baltici.

In Dunis insularum occidentalium *radiatam* inveni hanc plantam; sed quo magis cultis agris appropinquabam, eo rarior factus est radius, sic

ut tandem ad ipsas sedes hominum non nisi *S. vulgaris* Linn. superesset. Quare ortum esse ex hac specie puto *Senecionem vulgarem*, qui quum colitur, aut in pingui humo quum crescit, omnes amittit flosculos radiatos, quemadmodum fit in *Senecione sylvatico* ac *viscoso*, nec non in *Cinerariis*. Sed sequitur simul ex his, non apte dividi a Linneo hoc genus in plantas *floribus flosculosis* et *floribus radiatis*.

410. *Senecio sylvaticus* L.

411. *Senecio lividus* L.

Kniphoff. Botanic. Cent. 10.

S. sylvaticus Flor. Dan. tab. 869?

In Duc. Lauenburg, ex. c. ad Grünhoff et Schönberg.

Quæ planta a van Royen in Spec. plant. citatur, fide speciminis ex ipsius Royeni collectione in herbario Vahliano, *non* pertinet ad speciem Linneanam.

412. *Senecio viscosus* L.

413. *Senecio aquaticus* HUDS.

414. *Senecio paludosus* L.

Ad majores fluvios Holsatiæ et Ducatus Lauenburgensis, ut ad Albim, Alster, Bille, Stechnitz cet.

Flor. Dan. tab. 385.

415. *Senecio saracenicus* L.

Jacquin. Flor. Austr. tab. 186.

Ad Albim inde a regione *die Vierlanden* dicta, versus Blankenese, Wedel, Hasseldorfer-Marsch et usque ad ostium fluminis Krükau frequens in humo pingui.

416. *Aster salignus* WILLD.

417. *Inula Helenium* L*.
418. *Doronicum Pardalianches* L*.
419. *Pyrethrum inodorum* SMITH.
420. *Pyrethrum maritimum* SMITH.
421. *Cotula Coronopifolia* L.

Flor. Dan. tab. 341.

Non modo ad Albim circa Hamburgum et pagos ad eam urbem pertinentes, ex. c. Nienstædten, Eppendorf, Borstel; sed etiam ad mare Balticum prope Lütjenburg, Hochwacht, Oldenburg.

422. *Achillea Ptarmica* L.
423. *Achillea magna* L.

Frustranea.

424. *Centaurea Calcitrapa* L.

Dreves et Hayne Abbild. Deutsch. Gewächse Tom. 5. Engl. bot. tab. 125.

Non infrequentem reperi in Escherdeich, quæ sunt moles Ditmarsiæ meridionalis, non procul a Meldorf.

Necessaria.

425. *Calendula arvensis* L*.
426. *Calendula officinalis* L*.

Segregata.

427. *Echinops sphærocephalus* L.

Classis XX.

GYNANDRIA.

Diandria.

428. *Orchis conopsea* L.

Flor. Dan. tab. 224.

Ad Möllen, Sülsdorf, Herrenburg, Lubecam, Hamburgum satis rara.

429. *Orchis albida* SWARTZ.

Satyrium albicum L. Flor. Dan. tab. 115.

Prope Husum in ericetis ad lacum *der Mühlteich* dictum, *Forchhammer.*

430. *Orchis viridis* SWARTZ.

Satyrium viride L. Flor. Dan. tab. 77.

In orientali parte Holsatiæ rara admodum.

431. *Neottia spiralis* SWARTZ.

Ophrys spiralis L. Flor. Dan. tab. 387.

Ad Appenrade pluribus locis jam ab Oedero reperta.

432. *Corallorrhiza innata* SMITH.

Ophrys corallorrhiza L. Flor. Dan. tab. 451.

Ad primam tabernam piscariam prope Lubecam inter *Sphagnum obtusifolium* a Wolf et Kindt inventa.

433. *Epipogium aphyllum* GMEL.

Satyrium Epipogium L. *Limodorum Epipogium*, Flor. Dan. tab. 1399.

Ab Ill. Webero jam ante multos annos ad Sihlbeck non procul a *dem Foersterhause* repertum.

434. *Malaxis Loeselii* SWARTZ.

Ophrys Loeselii L.

Ophrys paludosa Flor. Dan. tab. 877.

In Holsatia et Duc. Lauenburg: in paludosis Eppendorfensibus, ad Alsterkrug, inter Waldhusen et Siems, ad Heiligenhaven, Möllen, Schlagbrücke, Crummesse.

435. *Epipactis pallens* SWARTZ.

Flor. Dan. tab. 1400.

In sylva Roemitz ad Ratzeburgum; in Lauerholz prope Lubecam, Rasdorf prope Pretz cet. non frequens.

436. *Epipactis rubra* SWARTZ.
Flor. Dan. tab. 345.
In Slesvico ad Gravenstein a V. Ven. Freuchen inventa.

437. *Epipactis ovata* WILLD.

Classis XXI.
MONOECIA.
Monandria.

438. *Najas marina* L.
Najas major Allion.
In fl. Trave ad Schlutup prope *der Herrenfähre*, et in lacu Dassowensi.
Opus est huic plantæ, ut character genericus diligenter examinetur.

439. *Zannichellia maritima* N.

440. *Zannichellia polycarpa* N.

Triandria.

441. *Sparganium simplex* HUDS.

442. *Carex chordorrhiza* EHRH.
Flor. Dan. tab. 1408.
In paludosis Süselensibus in Priwall et ad Leesten, rara tamen.

443. *Carex stenophylla* WAHLENB.

444. *Carex Schreberi* SCHKANK.

445. *Carex argyroglochin* HORNEM.
Elor. Dan tab. 1710.
In Sachsenwald prope Reinbeck et Witzhave, et in Hahnenheide prope Trittau.

446. *Carex intermedia* GOOD.

447. *Carex nemorosa* LUMNITZ.

448. *Carex divulsa* GOOD.

449. *Carex stellulata* SCHREB.

450. *Carex elongata* L.

451. *Carex canescens* L.

452. *Carex microstachya* EHRH.
Schkuhr. bot. Handb. Tom. 4. tab. C. fig. 11.
Inter Schlutup et piscinam *Schwartzteich* dictam in paludosis.

453. *Carex paniculata* L.

454. *Carex paradoxa* WILLD.

455. *Carex teretiuscula* GOOD.

456. *Carex Oederi* RETZ.

457. *Carex fulva* GOOD.

458. *Carex distans* L.

459. *Carex binervis* SMITH.

460. *Carex extensa* GOOD.
Flor. Dan. tab. 1709.
Priwall ad Travemünde, Niendorf ad mare Balticum, Neustadt, Heiligenhaven, Fehmersund, Fehmern.
Synonymum est: *Carex nervosa* Desfont. Flor. Atlantic Tom. 2. pag. 337. fide speciminis in herbario Vahliano.

461. *Carex strigosa* HUDS.

462. *Carex præcox* JACQ.

463. *Carex ericetorum* POLLICH.

464. *Carex supina* WILLD.

465. *Carex Buxbaumii* WAHLENB.

Flor. Dan. tab. 1406.

In Hahnenheide ad Trittau semel inveni pauca quædam exempla.

Synonymum est: *C. subulata* Schumach. Enum. No. 793.

466. *Carex recurva* HUDS.

467. *Carex stricta* GOOD.

468. *Carex pallescens* L.

469. *Carex lævigata* SMITH.

Engl. bot. tab. 1387.

Prope Clausdorf ad Kilonium in palude quadam.

470. *Carex ampullacea* GOOD.

471. *Carex paludosa* GOOD.

472. *Carex riparia* CURT.

Pentandria.

473. *Amaranthus Blitum* L.

Engl. bot. tab. 2212.

Ad Hamburgum, Brunsbüttel, Lubecam passim.

Polyandria.

474. *Ceratophyllum submersum* L.

Per Ducatus omnes in lacubus et piscinis.

Rarior hæc species, quæ est in hoc genere secunda, quamquam a Vaillant jam ante annos plus centum egregie distincta et delineata est, tamen postea non modo cum altera permutata est inque dubium vocata, sed fuerunt etiam, qui speciem

inde effici negaverint, eamque tanquam varietatem ad *C. demersum* L. quæ est multo frequentior, retulerint. Cujus rei causas has existimo: primum, quod trivialia nomina, *demersum* et *submersum*, quippe ejusdem fere significationis, parum sunt caute adhibita; quare Richard, in Annal. du Museum. Tom. 16. pag. 299., non ab re nomen *C. demersum* in *C. cornutum*, *C. submersum* autem in *C. verruculosum* mutavit; deinde, quod fructus ferens rarissime invenitur *C. submersum*, licet ex ipso fructu potissimum petenda sit differentia specifica, quod, præter Vaillant et Linné, etiam a Willdenow, Smith, Richard, qui fructus ejus viderunt, confirmatum est. Ego autem, quum contigerit mihi utramque speciem generis hujus, quod penitus consideretur, certe dignissimi, et a Richardo in Systemate naturali inter Cycadeas, quæ sunt coniferis affines, positi, vivam et pulcherrimis fructibus plenam examinare, id tantum indicabo, certissime mihi constare, plantas illas tanquam species esse distinguendas; quod ipsum nunc retinebo, structuram fructus alii tempori explicandam relinquens.

Foliis hæ species non multum differunt, quanquam folia *C. submersi* in universum magis sunt composita, longiora, tenuiora, minus denticulata, quam in *C. demerso*, quæ plerumque bis dichotomice divisa, in quattuor lacinias lineares desinentia habet folia, quum in *C. submerso* ter dichotomice divisa sint inque octo lacinias exeant. Quod tamen, quemadmodum dixi, minus constans est; namque et *C. submersum* quattuor et *C. demersum* octo foliorum lacinias habens reperitur.

Majoris autem momenti est fructus forma, quam insignissimam habet utraque species.

C. submerso fructus nucularis est oblique ovatus, gibbosus, altera dimidia parte carinata, magnitudine semen cannabis paulum superans, brevissimo obtuso mucrone in superiore parte posito, superficie præcipue inferioris partis verruculosa, pedunculo brevissimo aut pæne sessilis, perigonio multifido.

Compressum fructum autem, quem invenisse se dicit Cel. Sprengel. Syst. Veg. 3. pag. 866, ego nunquam inveni.

C. demerso fructus est paulo minor quam fructus superioris, magis oblongus, superficie non verruculosa, spinam habens corneam, subhamatam, in superiore parte fructus positam, incerta longitudine, sed plerumque duplo longiorem quam fructum; cui similes alteræ duæ spinæ, breviores illæ atque deflexæ, in fructu prope pedunculum, qui est brevis, positæ sunt; in quas spinas paulatim per acutos margines putamen fructus transit. Perigonium etiam superiore pauciores habet lacinias.

His notis editis, respondisse me puto quæstioni ab Hooker in Fl. Scot. Tom. I. pag. 272. propositæ, sic ut nihil omnino impediat, quo minus duas ex his plantis species effici statuamus; neque sequamur Wahlenberg, qui in Flor. Suec. Tom. 2. pag. 618. alteram repudiat, *C. submersum* Retz. Prodr. Flor. Scand. ed. 2. pag. 225. statuens esse varietatem caulibus longioribus, fructibus minoribus, rotundioribus, spinis non armatis. Verum dubitari non potest, quin Retzii planta sit Linneana, quum Flora ejus etiam Daniam com-

plectatur, et ipse diserte ad eam plantam citet iconem ejus in Flora Danica expressam; simul affirmo, ipsum Linneanum *C. submersum* a me, quum et magna copia adesset et fructus ferret, hac æstate in Sjællandia prope urbem Roeskilde, fuisse observatum.

Restat, ut, si quis etiam nunc de utraque hac specie distinguenda dubitet, ei hos, quos adeat, locos indicem:

1) *Hydroceratophyllon folio aspero, quatuor cornibus armato*, Vaillant in Histoire de l'Academie 1719. pag 16. Tab. 2. fig. 2. No. 1. (a dextra).

Ceratophyllum demersum L. Willdenow. Spec. plant. 4. pag. 405. Smith. Flor. Brit. 3. pag. 1020. Engl. bot. tab. 947. Gärtner de fruct. Tom. 1. tab. 44.

2) *Hydroceratophyllon folio lævi, octo cornibus* armato. Vaillant. l. c. pag. 16. tab. 2. fig. 2. No. 2 (a sinistra).

Ceratophyllum submersum L. Willdenow. Spec. plant. 4. pag. 405. Smith Flor. Brit. 3. pag. 1020. Engl. bot. tab. 679. Flor. Dan. tab. 510.

475. *Alnus incana* WILLD.

Svensk bot. tab. 595.

In Ducatibus a Cel. Prof. Hornemann raro depreheusa.

476. *Betula pubescens* EHRH.

477. *Quercus pedunculata* WILLD.

Monadelphia.

478. *Pinus Picea* L*.

479. *Pinus Larix* L*.

Syngenesia.

480. *Bryonia alba* L.

Classis XXII.

DIOECIA.

Diandria.

481. *Salix undulata* WILLD.
482. *Salix Russelliana* SMITH.
483. *Salix fragilis* L.
484. *Salix Meyeriana* WILLD.
485. *Salix rubra* HUDS.
486. *Salix argentea* SMITH.
487. *Salix repens* L.
488. *Salix fusca* L.
489. *Salix rosmarinifolia* L.
490. *Salix spathulata* WILLD.
491. *Salix aurita* L.
492. *Salix aquatica* SMITH.
493. *Salix acuminata* HOFFM.
494. *Salix mollissima* HOFFM.
495. *Salix holosericea* WILLD.
496. *Salix alba* L.

Pentandria.

497. *Canabis sativa* L*.

Octandria.

498. *Populus canescens* AIT.

Enneandria.

499. *Mercurialis annua* L.

Monadelphia.

500. *Taxus baccata* L*.

CORRIGENDA.

Pag. 9. Lin. 4. pro *Juncus s. Scirpus medius* repone *Juncus sylvaticus.*
- 9. - 17. idem emenda.
- 13. - 24. pro 1813 repone 1863.
- 15. - 31. pro *Epidemium* rep. *Epimedium.*
- 16. - 30. pro *totum annum* rep. *plures annos.*
- 18. - 5. *adde:* Hornemann Plantel. ed. 3. Tom. 1. pag. 181.
- 21. - 3. *pro* femora *rep.* crura.
- 26. - 31. pro 184 rep. 187.
- 33. - 4. *adde:* Ad urbem Lauenburgum ipse inveni.
- 34. - 4. *pro* variis *rep.* variegatis.
- 34. - 6. *pro* Sponte *rep.* Pæne sponte.
- 35. - 7. pro 367 rep. 368.
- 35. - 18. pro *Ornithogalum Henkelii*, Flora — rep. *Ornithogalum*, Henkel in Flora.
- 35. post Lin. 21. *adde:* In nemorosis Ducatuum trium non rarum.
- 36. Lin. 4. *pro* demonstratum, *rep.* demonstratum:
- 43. - 2. pro 23 rep. 232.
- 43. - 16. pro 343 rep. 443.
- 53. - 33. *pro* sexus *rep.* sexum.
- 74. - 4. pro *albicum* rep. *albidum.*

HAVNIÆ.

EX OFFICINA HARTV. FRID. POPP.